DE EUNUCHI TERENTIANAE EXEMPLIS GRAECIS DISPUTATIO.

W. J. OUDEGEEST.

DE EUNUCHI TERENTIANAE EXEMPLIS GRAECIS DISPUTATIO.

DE EUNUCHI TERENTIANAE EXEMPLIS GRAECIS DISPUTATIO.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE, QUOD EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI J. F. HOUWING, IN FAC. IUR. PROF. ORD., NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE ET LITTERARUM HUMANIORUM DECRETO PRO GRADU DOCTORATUS SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS IN UNIVERSITATE AMSTELODAMENSI RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS PUBLICO EXAMINI SUBMITTET WILHELMUS JACOBUS OUDEGEEST, E PAGO OOST-STELLINGWERF, DIE X MENSIS JULII ANNI MCMVI HORA II IN AULA ACADEMICA.

BREDAE APUD H. ENGELBREGT. ANN. MCMVI.

Promotori suo aestimatissimo, viro clarissimo

H. T. KARSTEN

pro institutione et adhortationibus et pro singulari benevolentia sibi in hoc libello componendo praestita,

Praeceptoribus suis, viris clarissimis

S. A. NABER

A. H. G. P. VAN DEN ES

I. M. J. VALETON

K. KUIPER

J. SIX

A. PIERSON, *piae memoriae,*

C. BELLAAR SPRUYT, *piae memoriae,*

viro doctissimo

J. H. GUNNING

pro eruditione et comitate gratias agit

DISSERTATIONIS AUCTOR.

Matri carissimae,

Patris optimi memoriae.

INDEX.

PRAEFATIO.

In Eugraphii Comm. in Andr. prol. 1 (KLOTZ p. 173) haec legimus: „Poeta quom primum animum „ad scribendum adpulit: Omnis prologus triplici indu-„citur caussa, vel ut argumentum fabulae possit exhi-„bere, vel poetam populo commendare, vel ut a populo „audientiam postulet. Sed his omnibus caussis Terentius „non ita usus est. Habuit enim adversarium, vete-„rem poetam, Luscium Lavinium (leg. Lanuvinum), „cuius comoediae cum non placerent, semper maledictis „adversus comoedias Terentii pugnabat. Propter hunc „igitur Terentius prologum semper induxit, ut eius „maledictis respondeat."

Luscius ille aliam in componendis, vel potius in convertendis fabulis viam iniit atque qui ante eum fabulas scripserunt, Naevius, Plautus, Ennius. Cum enim illi exemplaria Graeca saepe liberius tractarent

iisque in convertendo adderent partes ex alia fabula petitas — quae agendi ratio nominabatur *contaminare* — Luscius etiam transversum unguem discedere ab exemplari Graeco illicitum esse putabat. Terentius contra illorum exemplum secutus est (Andr. prol. 13 sqq.), quam ob causam, nec non invidia in rivalem iuniorem commotus, Lanuvinus eiusque socii eum criminationibus persequebantur.

Prima accusatio fuit, quod fabulas contaminaret. Omitto quaestionem toties a v. d. tractatam de propria significatione verbi *contaminare*, praesertim cum satis constet, quid Terentius hoc verbo intellexerit. Ipse enim poeta profitetur

Andr. prol. 13 sq.

Quae convenere, in Andriam ex Perinthia
(Fatetur) transtulisse atque usum pro suis.

Eun prol. 30 sqq.

Colax Menandrist: in east parasitus colax
et miles gloriosus: eas se (hic) [1] non negat
personas transtulisse in Eunuchum suam
ex Graeca.

Adelph. prol. 10 sq.

eum (scil. locum) hic sumpsit sibi
in Adelphos, verbum de verbo expressum extulit.

Ex fabulis, quas contaminatas esse ipse confitetur, sumpsi Eunuchum inquisiturus, quomodo poeta usus sit exemplari Graeco et, quantum fieri poterit, restituturus duas Menandri fabulas, quas adhibuit, cum

1) Hoc pronomen inseruit Bentleius; cf. tamen Fabia. Terent. Eun. ad h. v. (p. 82).

Eunuchum Latine componeret. Ex citatis prologorum locis apparet Terentium, cum contaminaret, in fabulam, quam imitaretur, ex alia fabula inseruisse aut varia „quae convenere", aut „personas", aut „locum". Excepta igitur Andria, in qua de contaminationis amplitudine difficile videtur iudicare, cum nimis generaliter loquatur poeta et simillima essent Andriae Perinthiaeque argumenta [1]), in reliquis fabulis puto his finibus circumscribendam esse contaminationem. Cum autem in Eunucho personae, quas Terentius transtulit e Colace, accurate designentur, non concedendum esse censeo, eum in Eunucho multiplices alias mutationes admisisse nec maximam inter Eunuchum et Colacem similitudinem necessario exstitisse. Videbimus tamen quantopere v. d. dissentiant de illorum vss. significatione et de similitudine vel differentia, quae intercesserit inter Eunuchum Graecam et Colacem. Sed antequam hac de re agam, nonnulla sunt monenda de alia accusatione quam maxime cum contaminationis accusatione cohaerente te qua in hoc prologo Terentius se purgare conatur.

Postquam Luscius Lanuvinus cognovit populum in prioribus fabulis neglecta contaminatione plausisse Terentio, iam paulo aliter hunc aggressus est, ut legimus in Eun. prol. 19 sqq.

quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum, postquam aediles emerunt
perfecit sibi, ut inspiciundi esset copia,
magistratus quom ibi adessent. occeptast agi.
exclamat furem, non poetam fabulam

1) Cf. Sipkema. Quaestiones Terentianae (de Adelph. And.)

dedisse et nil dedisse verborum tamen.
Colacem esse Naevi et Plauti, veterem fabulam [1])
parasiti personam inde ablatam et militis.

Incusavit igitur poetam non a Graeco sed a Latino auctore mutuatum esse, quae in exemplar primarium inseruerit. Sed cum aediles nihilominus probaverint fabulam, irrita fuit accusatio. Cum igitur in prologo Terentius hanc accusationem commemoraret, iam lis dirempta erat neque nimis ampla ei opus fuit defensione. Utitur tamen duobus argumentis.

Primum adfirmat se e Graeca fabula hausisse, sed ignorasse eam Latine iam factam esse a Naevio et Plauto; tum contendit personarum usum omnium poetarum esse communem (prol. 27 sqq.):

Si id est peccatum, peccatum inprudentiast
poetae, non qui furtum facere studuerit.
id ita esse vos iam iudicare poteritis.
Colax Menandrist: in east parasitus colax
et miles gloriosus: eas se (hic) non negat

---

1) Hic versus in antiquioribus editionibus sine interpunctione legitur. Vissering: Colacem esse Naevi, et Plauti (esse) veterem fabulam (scil. Milit. glor.). Cf. Ritschelius Parerg. p. 99 sq. Interpunctionem minorem post „Plauti" posuit Lomannus (Spec. crit. p. 83) cf. Teuffelius (Stud. u. Char. p. 281 sq.). Recte hic probat Lomanni coniecturam, sed quae addit de sociata utriusque poetae opera, nullo exemplo comprobantur. Hic de duabus fabulis (de utriusque poetae Colace) Terentium loqui, negari non posse mihi videtur. Utriusque fabulae fragmenta supersunt. Sive igitur post Naevium Plautus Menandri Colacem vertit, sive illius fabulam retractavit (non autem sic loqui potuit Terentius, nisi fabulae simillimae essent), Terentio argumentum fuit, quo posset se defendere a furti crimine. Sed inde non sequitur eum hoc argumento, quo iam usus esset Andr. prol. 18, hic uti debuisse (cf. etiam Eun prol. 43).

personas transtulisse in Eunuchum suam
ex Graeca; sed eas ab aliis factas prius [1])
Latinas scisse sese, id vero pernegat.

Haec graviter dicta fortasse suffecerunt spectatoribus, sed placide perpendenti vix credibile videbitur Terentium prorsus ignorasse nec per Turpionem, gregis magistrum, umquam accepisse exstare Colacem Naevii et Plauti, cum de aliis Plauti fabulis satis accuratam haberet notitiam, veluti hanc, in Commorientibus Plautum Graecae fabulae locum integrum reliquisse (Adelph. prol. 9 sqq.).

Nec quae de personis comicis contendit prologus v. 35 sqq. recte se habent:

Quod si personis isdem huic uti non licet
qui magis licet currentem servom scribere,
bonas matronas facere, meretrices malas,
(parasitum edacem, gloriosum militem,) [2])

---

1) In codicibus legitur: eas fabulas factas prius Latinas e.q.s. Ex his verbis non potest elici sensus: eas fabulas (quae verba referenda sunt ad v. 25: Colacem Naevi et Plauti) iam Latine exstare. Verba „eas fabulas" necessario intelligenda sunt de fabulis Graecis Latine redditis. Quaenam fabulae Graecae? Minus recte Bentleius dicit: Colacem et Eunuchum Menandri, (cf. Ritschelius Parerg. p. 103. Fabia Ter. Eun. p. 69) neque aliud quidquam est, ad quod verba illa referri possint. Cum igitur explicari nequeant, Ritschelius coniecit: eas (scil. personas) ab aliis; Fleckeisen: ea ex fabula; Kayser: eam fabulam factam prius Latinam; Wagner: eas (personas) fabulis actas prius Latinis. Recepi Ritschelii coniecturam.

2) Hunc versum, a Lomanno (Spec. critic.) et Dziatzkone damnatum, Fabia (in edit.) frustra defendere conatus est. Cum verbis „personis isdem" et „huic" aperte designentur „miles et parasitus" et „Terentius", post adv. magis (v. 36) non denuo miles et parasitus commemorari possunt.

puerum supponi, falli per servom senem,
amare, odisse, suspicari? denique
nullumst iam dictum, quod non sit dictum prius.

In his causa sophistice agitur; nemo enim negabit personarum species, quae enumerantur, omnium poetarum esse communes, sed aliud est eiusdem generis personis uti, aliud eas personas ita producere, ut eadem agant et loquantur, quae iam apud alios egerint et locuti sint.

Ex his efficio hunc prologum — nec dubitandum mihi videtur, quin de aliis prologis idem valeat — non tam continere verba aperta et simplicia ipsius Terentii, quam defensionem a sollerti gregis magistro L. Ambivio Turpione Terentio substitutam.

Redeo ad prol. 30 sqq. Dicit se e Colace militis et parasiti personas transtulisse in Eunuchum suam. Quo modo haec intelligenda sunt? Itane ut dicamus Terentium has tantum personas neque aliud quidquam praeter has e Colace transtulisse? Vix credo; etenim Sanga ceterique militis servi (IV. 7) etiam e Colace fluxisse debent. His adnumeranda erit serva Aethiopica, ut postea videbimus. Hanc ob rem prologi verba prohibere non debent, quominus censeamus fieri potuisse, ut etiam aliae personae, quae revera characterem inconcinnum et duplicem exhibent, veluti Chremetis, partim ex Eunucho, partim e Colace promptae sint. 1) Manifestum est verba illa non ad amussim esse exigenda; neque tamen est, cur miremur prologum unum militem parasitumque nominavisse,

1) Cf. Cap. V.

quoniam de his tantum personis Luscius Lanuvinus in accusatione locutus erat (cf. v. 26).

Quod igitur attinet ad fabulam nostram, ex prologi verbis tria efficiuntur:

Primum omnes scaenas, in quibus miles et parasitus (Thraso et Gnatho) [1]) soli aut fere soli prodeant, exceptis paucis versibus qui ad Eunuchi materiem spectant, e Colace esse desumptas. (In scaenarum conspectu partes e Colace significabo per litteram A).

Deinde omnes scaenas, quarum materia non cohaereat cum Colace, paucis fortasse versibus exceptis Eunucho deberi. (Has significabo per litteram B).

Postremo restant scaenae, quae, cum utriusque fabulae personae in iis prodeant, ab ipso Terentio ex utroque fonte sunt commixtae. (Has significabo per litteram C).

Iam statim breviter describam cuinam e tribus his fontibus singulae scaenae mihi adiudicandae videantur.

Act. I. Dum Phaedria a Thaide amica heri exclusus cum Parmenone servo deliberat, utrum redeat necne (sc. 1. B), supervenit ipsa Thais iisque narrat se exclusisse amatorem, cum Thraso miles sibi daturus sit virginem Pamphilam, quam antea Sunio abreptam et secum educatam cognatis restituere velit, et a Phaedria petit, ne biduo ad se veniat (2. B).

Act. II. Concedit ille et postquam Parmenonem iussit dona, eunuchum et servam Aethiopicam, ad Thaidem deducere, rus ire constituit (1. B). Deinde

---

1) Terentium nomina mutavisse apparet coll. Th. Kockii Com. Att. fragm. Vol. III fr. 293 et Plut. Mor. 57a. Thraso apud Menandrum appellabatur Βίας, Gnatho Στρουθίας. Cf. Don. ad Adelph. I. 1. 1.

Gnatho parasitus Pamphilam ad meretricem ducens, orationem habet de arte parasitica (2. C). Virginem illam in platea conspectam amore captus secutus est Chaerea, frater Phaedriae, sed cum a cognato retineretur, e conspectu amiserat. Narrat haec Parmenoni et postquam ab eo comperit virginem esse apud Thaidem, ei persuadet, ut se eunuchi veste indutum ad meretricem ducat (3. B).

Act. III. Prodeunt Thraso et Gnatho. Parasitus militi facta et dicta sua inepta iactanti assentatur (1. A). Thais domo exit militique gratias agit propter donum nuper acceptum. Parmeno Thaidi dona Phaedriae offert (falsum eunuchum Chaeream et servam Aethiopicam). His acceptis meretrix cum milite abit ad cenam (2. C). Paulo post Chremes, frater Pamphilae, ad Thaidem arcessitus venit et a Pythia ancilla certior factus meretricem foris esse, a Doria ancilla ad militem deducitur (3. B). Chaerea cum nonnullis amicis constituerat, ut hodie de symbolis ederent. Cum ad tempus non adesset, miserunt Antiphonem, qui eum quaereret (4. Dissentiunt v. d., utrum Menandro an Terentio Antiphonis persona adiudicanda sit). Gaudio exsultans Chaerea e domo meretricis prosilit et Antiphoni narrat se vitiasse virginem et cum eo abit (5. B).

Act. IV. Dorias, quae Chremetem ad militem deduxit, redit et loquitur de iurgio, quod oriretur inter Thaidem et Thrasonem(1. A). Interea Pythias comperit, quid Pamphilae accidisset et Phaedriae, qui rure reverterat (2. B), narrat, quid factum sit (3. B). Phaedria cum Pythia Doriaque domum intrant, ubi e vero eunucho Doro certiores fiunt, Chaeream illud facinus perpetrasse (4. B). Post iurgium cum milite

meretrix abiit et miles Chremetem semigravem domo eiecit. Revertitur hic ad Thaidis domum (5. A), quae paulo post et ipsa adest nuntians militem venturum esse, ut virginem sibi eripiat (6. C). Mox miles cum servis prodit meretricis domum aggressurus, sed re infecta discedit (7. A).

Act. V. Iam Pythias Thaidi narrat facinus Chaereae (1. B). Cum ille domum redire vult, incidit in Thaidem, a qua cum comperit Pamphilam esse civem, se illam uxorem ducturum esse promittit (2. B) et apud Thaidem Chremetis adventum exspectat, qui mox redit cum Sophrona nutrice ut recognoscat signa (3. B). Interea Pythias in Parmenonem turbarum auctorem vindicare cupiens, lepide ei persuadet Chaeream a Chremete turpiter punitum iri ob sororis iniuriam (4. B). Hic igitur metuens Chaereae totam rem patri eius indicat (5. B), quo facto Pythias eum deridet, quasi Chaeream et se ipsum perdiderit (6. B). Deinde ad Thaidem redeunt Thraso et Gnatho. Miles meretrici se dedere constituit (7. A). Dum ante Thaidis domum versantur, Chaerea prodit et narrat se uxorem ducturum esse Pamphilam Thaidemque totam fore Phaedriae. Thraso Gnathonem orat, ut conetur perficere, ut Thaidis domus in posterum sibi quoque pateat. Parasitus Phaedriam et Chaeream monet, quantopere miles locuples iis prodesse possit perficitque ut recipiatur (8. C).

Antequam transeo ad disputationem de singulis fabulae partibus, breviter notabo, quibus v. d. opusculis in dissertatione mea usus sim.

Imprimis adiumento mihi fuerunt scholia Dona-

tiana, quorum tandem diu desideratam habemus editionem criticam:

P. Wessner. Aeli Donati quod fertur commentum Terenti. Vol. I. Lipsiae 1902.

De Donato adhibui:

R. Sabbadini. Il commento di Donato a Terenzio. Firenze 1893. Studi italiani di Filologia classica. Vol. II.

Id. Gli scolii Donatiani ai due prime atti del Eunuco di Terenzio. Firenze 1894. Studi italiani di Filologia classica. Vol. III.

J. J. Hartman. De Terentio et Donato commentatio. Lugduni Batavorum 1895.

H. T. Karsten. De scholiis quibusdam Donati ad Terentium. Lugduni Batavorum 1901. Commentationes in honorem J. C. G. Bootii.

Hic monendum est in fabulis contaminatis Donatum modo inspexisse exemplar primarium (cf. Ihne. Quaest. Ter. p. 13) [1]) et quoties in scholiis laudat ingenium Terentii, non huius vulgo, sed Graecorum auctorum inventa inscium ob oculos habere (cf. H. T. Karsten. Comm. p. 205).

Deinde usus sum.

W. H. Grauert. Historische und philologische Analekten. Münster 1833.

W. Ihne. Quaestiones Terentianae (de And. Eun. Adelph.) Bonnae 1843.

J. Koenighoff. De ratione, quam Terentius in

1) Ulterius progressus est Wessner, qui in libro de Aemilio Aspro contendit Donatum prorsus non inspexisse fabulas Graecas, sed Graeca desumpsisse ex Aspro et Probo.

fabulis graecis latine vertendis secutus est. Coloniae 1843.

W. S. TEUFFEL. Studien und Charakteristiken (de And. Eun. Adelph.) Leipzig 1871.

C. M. FRANCKEN. De Poenuli Plautinae compositione. Mnemosyne N. S. IV. 1876.

K. BRAUN. Quaestiones Terentianae (de And. Eun.) Gottingae 1877.

F. KAMPE. Die Lustspiele des Terentius und ihre griechischen Originale (de And. Eun. Heaut.) Halberstadt 1884.

C. REGEL. Terenz im Verhältniss zu seinen Griechischen Originalen (de And. Adelph. Eun.) Wetzlar 1884.

PH. FABIA. Les prologues de Térence. Paris 1888.

ID. P. Terenti Afri Eunuchus. Paris 1895.

F. NENCINI. De Terentio eiusque fontibus. Liburni 1891.

H. T. KARSTEN. Terentiani prologi quot qualesque fuerint et quibus fabularum actionibus destinati a poeta. Mnemos N. S. XXII 1894.

P. A. SIPKEMA. Quaestiones Terentianae (de Adelph. And.) Dissert. litter. Amstelodami 1901.

In fragmentis Graecis laudandis secutus sum editionem Kockianam.

TH. KOCK. Comicorum Atticorum fragmenta. Vol. III Pars II. Lipsiae 1888.

CAPUT I.

DE EXORDIO FABULAE.

Contenderunt omnes fere, qui de Eunuchi Terentianae compositione scripserunt, Terentium iam in exordio discessisse a Menandro Graecique poetae initium rectius servatum esse a Persio. Ut hoc diudicetur, examinabo, quae ratio intercedat inter poetarum locos, qui hoc initium rettulerunt, Terentius, Horatius, Persius.

Terent. Eun. 46—49,

Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem,
quom arcessor ultro? an potius ita me comparem
non perpeti meretricum contumelias?
exclusit; revocat; redeam? non, si me obsecret.

Horat. Sat. II. 3. 263—265.

— Nec [1]) nunc, cum me vocat ultro,

1) Kiesslingius (Horat. Sat. ad h. l.) perperam iungens „nec accedam" legere vult „ne". Iungenda sunt „nec nunc" = ne nunc quidem, cf. Ov. Trist. II. 495, Tacit. Ann. II. 82.

Accedam? An potius mediter finire dolores?
Exclusit, revocat: redeam? Non, si obsecret. 1)

Pers. Sat. V. 161—173.

— Dave — cito, hoc credas iubeo finire dolores
Praeteritos meditor — crudum Chaerestratus
[unguem
Adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscaenum frangam, dum Chrysidis udas 2)
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
— Euge, puer, sapias: Dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen, plorabit, Dave, relicta?
— Nugaris, solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses!
Nunc ferus et violens, at si vocet „haud mora" dicas
— Quidnam igitur faciam? nec nunc cum
[accersat et ultro
Supplicet, accedam? —

Horatium hoc loco imitatorem fuisse Terentii et ex similitudine verborum et ex sententiarum nexu manifestum est. Utroque loco iuvenis exclusus et ab amica revocatus secum reputat redeat necne.

Ad Persii locum adnotat scholiasta: „Hunc locum „de Menandri Eunucho traxit, in quo Davum servum „Chaerestratus adolescens alloquitur, tanquam amore

---

1) Etiam in sequentibus plura insunt, quae mutuatus est a Terentio.

2) Pro „udas" Nencinius p. 80 proponit „surdas", coll. Ov. Am. I. 6. 62, ubi vero legitur „durior"; ibid. 54 legitur „surdas fores", sed 18 etiam „uda ianua".

„Chrysidis meretricis derelicto; idemque tamen ab ea „revocatus, ad illam redit. Apud Terentium personae „immutatae sunt".

His verbis fretus C. O. MUELLERUS (Gesch. d. Gr. Litt. II. p. 276) putat Persium presse secutum esse Menandrum, Terentium vero hactenus ab eo discessisse, ut ea, quae apud Persium legantur ante v. 172 quaeque fuerint in Menandri fabula, omiserit et loci oeconomiam mutaverit: „Aber bei Menander beräth sich der Jüngling mit dem Sclaven in einer Zeit, wo die Hetäre ihn ausgeschlossen hat auf den Fall, dass sie ihn wieder einladen sollte zu ihr zu kommen, bei Terenz ist der Jüngling nach einem Zwiste schon wieder zur Aussöhnung eingeladen".

Hanc sententiam secuti sunt GRAUERTUS p. 154, KOENIGHOFFIUS p. 13, IHNIUS p. 18, BRAUNIUS p. 24.

Eandem viam ingressus NENCINIUS p. 84 Persii v. 172 non Chaerestrato, sed Davo tribuit et contendit Terentium ea, quae leguntur apud Persium omisisse, quia apud Menandrum iuvenis modo quereretur de Chrysidis aviditate, cum apud Terentium „hoc capital „esset, ut rivalis amatoris adventus, aliunde adsciti „praepararetur ideoque non de argento sollicitus, sed „zelotypia vexatus ostenderetur adulescens".

Collatis igitur Eun. vss. 79, 122 sq, 927, Donati verbis ad V. 5.31, meretricisque nomine Χρυσίς, putat pecuniae causa in Menandri Eunucho litem inter Chrysidem et Chaerestratum ortam esse, quod v. c. argentum suppeditare nequiret.

FABIA p 53 etiam sequitur sententiam Muelleri, sed simul hanc alteram prodit: Cum in Persii verbis multa insint, quae congruant cum Horatii verbis,

etiam fieri potuisse, ut mutua sumpserit ab Horatio nec presse secutus sit Menandrum. 1)

V. cl. HARTMAN p. 4 putat Persium non sequi Menandrum 2) et de re plane alia agere atque illa est, in qua Terentii et Horatii loci versentur, cum Persianus iuvenis simulet se redire velle ad bonam frugem, revera tamen desiderium sui movere velit amicae.

Metuo, ne iusto maiorem fidem scholiastae hi v. d. habuerint. 3) Dicit scholiasta: „apud Terentium personae immutatae sunt," quae verba a Fabia p. 54 recte explicantur: „il a changé les noms des personnages". 4) Attamen animadvertendum est in codice Bembino (A) et apud Donatum ad I. 1. 5: „Si quidem hercle possis: διαλογισμός quasi ad alterum e. q. s." Phaedriam loqui usque ad v. 12: „ere, quae res e. q. s." Non puto ad hanc rem verba illa scholiastae referenda esse.

Reliqua verba minus recta sunt. Verba „alloquitur tanquam amore derelicto" et „revocatus redit"

---

1) „Dans le passage en question, suivant son habitude, Perse a de fréquentes reminiscenses d'Horace; il est permis de douter qu'un passage, où tant de fois l'expression rapelle d'une façon évidente tel ou tel vers d'Horace, soit une reproduction litterale ou à peu près de Ménandre."

2) „Etenim magis in hanc inclino opinionem, ut dicam Persium ..... et in Menandro et in Terentio fuisse hospitem, atque in hoc, de quo agimus, loco conscribendo uno Horatio nisum esse, quem parum intelligeret."

3) Cf. Schanz. Gesch. d. Röm. Litt. II. 2. p. 69: „Dieser Commentar hat das eine oder das andere antike Korn, allein im Ganzen ist er ohne besonderen Wert."

4) Cf. p. 7 not.

non reddunt, quae leguntur in hac scaena, ubi Phaedria deliberat cum Parmenone servo, qui postremo ei suadet, ut relinquat amicam. Etiamsi cum Nencinio (p. 95) censeamus Terentium resecuisse, tamen oeconomia eadem manet. Hanc scholiasta negligenter rettulit neque igitur dignus est, cui fidem habeamus; eius verba „hunc locum de Menandri Eunucho traxit" non magis accurata habenda sunt quam verba „personae immutatae sunt" pro „nomina personarum immutata sunt."

Persius loquitur in hac parte carminis de vera libertate ostenditque neminem revera esse liberum. Vss. 125—156 comparat servum, domini imperio subditum, cum homine cupiditatibus inter se pugnantibus obnoxio. Revera hic non minorem servitutem servit quam ille! (130) Deinde 157—160 poeta ostendit cupiditates tanta vi obstrictos nos tenere, ut saepissime ille, qui earum servituti sese eripere constituerit, tamen omnibus viribus niti debeat, ne iterum iis succumbat. Sequitur noster locus, quem exempli gratia additum [1]) meo quidem iudicio sic intellegas necesse est: Chaerestratus, quem turpis vitae pudet, amicam deserere constituit. Ab ea tamen revocatus [2]) dubitare incipit servumque Davum consulit. Iam dubitantium more causis, quibus impulsus relinquendae amicae consilium ceperit (163—166), rationem opponit redeundi (dolorem amicae, 168).

Quamquam Hartmanno putanti de re plane alia agere Persium ac Terentium et Horatium, assentiri

1) Cf. Edit. Jahnii. Comm. ad. h. l. (p. 206).

2) Cf v. 157: instanti, et v. 172: nunc cum arcessat.

non possum.[1]) tamen Persius mihi quoque hoc loco non convertisse videtur Menandrum, sed partim Horatium, partim Terentium secutus esse.

Horatianum illud „meditari finire dolores" (264) apud Persium legitur v. 161; itemque et Horatius et Persius utitur verbo „accedere", cum apud Terentium inveniatur „ire". Contra v. 172 „Quidnam igitur faciam? nec nunc cum arcessat (et) ultro (supplicet)" Persius imitatus est Terentium: „Quid igitur faciam? (non eam) ne nunc quidem, quom arcessor ultro?", cum apud Horatium v. 263 legamus verbum „vocare", quo Persius utitur v. 171.

Nomina tantum propria e Menandro sumpsit Persius.[2]) Ea nota fuisse iuveni docto non miramur, qui libenter doctrinam multiplicem prae se ferebat.

Deinde locum perlegentem non fugiet vss. 163—166 et imprimis 167, 169, 170 plane esse satiricos neque igitur iure e Graeca fabula conversos dici posse. Horatium secutus est in his: crudem unguem adrodere cf. Sat. I. 10.70: vivos rodere ungues; siccis cf. Od. I. 18.3, Ep. I. 19.9; rem (patriam) frangere cf. Sat. II. 3.18. Vss. 165—166 in memoriam revocant notissima illa paraclausithura, Tibulli I. 2, Propertii I. 16, Horatii Od. III. 10. Obiurgare = punire, plectere cf. Seneca de Ira III. 12, Suetonius Calig. 20, Otho 2.

Non autem video, unde Nencinius effecerit apud Persium (atque igitur secundum eum apud Menan-

1) Dubito quoque, annon recte v. cl. animadverterit iuvenem ne verbo quidem significare se exclusum fuisse, propter v. 166 coll. Prop. I. 16. 8. Hoc verum est eum non indicare exclusionem fuisse causam repudii.

2) Terentius igitur haec quoque nomina mutavit. Cf. p. 7 not.

drum) Chaerestratum de sola Chrysidis aviditate queri, nisi fortasse e. v. 164. Sed ex hoc versu non sequitur Chrysidem fuisse nimis avidam et iam dixi hic sermonem esse satiricum neque e Menandro peti potuisse. Numquam sic in scaena loqui potuit adulescens.

Non magis ex Eun. vss. 79, 122, 123, 927 neque e Donati verbis ad V. 5.31 neque e nomine Χρυσίς (= Aurea) apparet hanc meretricem prae ceteris fuisse avidam; ostenditur potius generosa indoles eo, quod per totam fabulam id agit, ut fratri restituat Pamphilam sororem (cf. v. 749).

Contendit etiam Nencinius p. 82 apud Menandrum Chaerestratum nondum revocatum esse propter Davi verbi v. 171 „si vocet" ideoque putat etiam sequentia (vss. 172, 173) Davo tribuenda esse „adulescentis orationem imitanti". Sed haec interpretatio minus recta est. Postquam Chaerestratus certis verbis affirmavit se rediturum esse, si vocetur (171: at si vocet „haud mora" dicas), non statim dubitanter rogare potest: Quidnam igitur faciam? Iure igitur omnes interpretes, Jahnius, Buechelerus, Nettleshippius vss. 172, 173:

„Quidnam igitur faciam? nec nunc cum arcessat et ultro
Supplicet, accedam?"

Chaerestrato ipsi tribuunt, qui totidem verbis affirmat se revera revocatum esse („nunc, cum arcessat.")

Ex his omnibus iam satis apparere mihi videtur nullam esse causam, cur sumamus Persium presse secutum esse Menandrum, Terentium vero ab eo discessisse, aut aliam apud Terentium esse causam litis inter Phaedriam et Thaidem atque fuerit apud Menandrum. 1)

---

1) Cf. p. 27.

CAPUT II.

ADFUERINTNE MILES ET PARASITUS IN EUNUCHO GRAECA QUAERITUR.

Vidimus Phaedriam a Thaide exclusum esse propter rivalem. Quisnam fuerit ille rivalis apparet e meretricis cum adulescente colloquio I. 2, ubi narrat se exclusisse amatorem, quia Thraso miles, amator pristinus, redierit sibique daturus sit Pamphilam ingenuam, suis antea Sunio surreptam, quam secum educatam meretrix cognatis restituere velit.

Confitetur ipse Terentius in prologo (30—33) se e Colace personas militis et parasiti transtulisse in Eunuchum suam. Inde orta est quaestio, fuerintne iam in Eunucho Menandri eiusmodi personae. Hac de re a v. d. in diversas atque adeo contrarias partes disputatum est.

Grauertus (p. 154) et Koenighoffius (p. 44) dicunt non dubitandum esse, quin in Menandri Eunucho

prodierit persona, quae Thrasonis Terentiani partes quocumque modo sustinuerit.

Ihnius p. 15 ambas personas in Menandri Eunucho fuisse, quamquam non tanta arte depictas, quanta in Colace, idcirco putat, quia infelix amator semper sit miles atque eunuchus et miles etiam alibi iungantur. (Cf. Diphili Εὐνοῦχος ἢ Στρατιώτης). [1] Censet praeterea prologi verba non ad amussim esse exigenda et satis magnam similitudinem intercedere debuisse inter Colacem et Eunuchum ; secus enim poetam militem et parasitum in Eunucho rite adhibere atque plura insuper e Colace assumere non potuisse. Talem similitudinem revera non improbabilem fuisse, his defendit argumentis : inter certos certarum personarum actionumque fines et genera versari artem comicam (prol. 35—41) ; eiusdem tituli fabulas scripsisse complures poetas Graecos [2] et non dubitavisse se ipsos exscribere.

---

1) Braunius p. 24 recte monet inde non sequi has personas etiam in Men. Eun. coniunctas fuisse. Cf. Nencinius p. 88 not 2: „non necessario inde colligi videtur etiam in Men. Eun. militem fuisse aut denique, si fuit, in scaenam prodisse".

2) Cf. Nencinius p. 88 not. 2 : „Quae vero Ihnius argumentatur de iteratis fabularum argumentis ap. Graecos comicos — id ratus confirmari similium titulorum multitudine — ut magnam inter Colacem et Eunuchum gr. similitudinem intercessisse defendat, vaga admodum et lubrica mihi videntur, cum eidem qui feruntur comoediarum tituli non semper de eisdem argumentis fidem faciant, nedum de eisdem personis. Cuius rei testes sunt Θησαυρός Menandri et Philemonis (Pl. Trin), utriusque Φάσμα, Ἀδελφοί α' et β' Menandri (Pl. Stich. et Ter. Ad.) : ne discordantia omonymarum fragmenta commemorem".

Ihnium secuti sunt Regelius [1]) et Kampius, [2]) contra eum disputaverunt Franckenus, Braunius, Nencinius.

Etiam v. cl. Franckenus (p. 152) non dubitavit, quin militis et parasiti vicariae personae in Eunucho adfuerint, sed negabat eas ibi repraesentasse militem et parasitum nec tantam putabat fuisse fabularum similitudinem, ut Terentius in vertendo Eunuchum subsistere potuerit et satis habuerit e Colace Thrasoni et Gnathoni sermones tantummodo quosdam et facetias adscribere. Efficit hoc ex verbis prologi (in vss. 25, 30).

Braunius (p. 23 sq.) ex eiusdem prologi verbis effecit Terentium in Eunucho non tam verba scaenasque quam personas earumque sententias transtulisse et falsum esse iudicat Ihnium, disputantem alias quoque

---

1) Cf. p. 22.

2) Kampius p. 10 duo fragmenta Colacis Naevii affert, quodammodo cum Chaereae verbis congruentia. Scripsit: „Wenigstens steht nichts im Wege das Fragm. II bei Ribbeck (frg. com. lat. rell. Lips. 1855 p. 9):

et volo
et vereor et facere in prolubio est

auf das Schwanken des Chaerea zu beziehen, der da zaudert, ob er sich als Eunuch ins Haus der Thais führen lassen soll oder nicht. Ferner lässt sich Fragm. IV:

ubi vidi examinabiliter timedus pedibus protinam me dedi

recht gut vergleichen mit den Worten des Pseudo-Eunuchen Chaerea bei Ter. Eun. V. 2. 5 sqq:

ubi vidi, ego in pedes, quantum queo
in angiportum quoddam desertum, inde item
in aliud, inde in aliud.

Sed in nostra fabula Chaerea, postquam Parmeno imprudens dolosum consilium suppeditavit (369 sqq.), ne punctum quidem temporis ad Thaidem ire dubitavit; alterius autem fragmenti congruentia prorsus nulla est.

personas praeter has e Colace desumptas esse et nonnullas Eunuchi Terentiani personas in utraque Menandri fabula adfuisse. Negat igitur in Eunucho fuisse militem aut parasitum et ne rivali quidem Phaedriae ibi opus fuisse credit. Concedit quidem in Menandri Eunucho puellam ad meretricem fuisse perductam, sed quomodo hoc ibi factum fuerit et quis dono dederit, porsus incertum esse contendit. 1)

REGELIUS, Ihnii sententiam secutus, animadvertit

---

1) Habet haec p. 24: „Equidem dubito, num in Menandri Eunucho alter amator fuerit Thrasonis Terentiani modo; talis enim si adfuisset, verisimile est Menandrum eum in scaenam inducturum fuisse. Neque vero Menandri fuit tot personas producere. Ea ipsa de causa, ut plures personas in scaenam produceret, contaminasse Terentium infra commemorabitur. Neque quidquam est causae Ihnio, cur iudicet in Menandri Eunucho militem amatorem Phaedriaeque rivalem fuisse. Nam quid affert adnotans non semel Eunuchum et militem in eadem fabula fuisse? Rivali omnino opus non est; quid non fieri potuit, ut aliquo modo inter Phaedriam et meretricem discordia oreretur, fortasse quia aut Thais ...... eum reiecerat aut quia Phaedria .... eam deserere constituerat. Hanc cuius apud Menandrum initio fabulae mentio fiebat causam omisit Terentius aliamque incertam reliquit. Ad hoc optime pertinere puto Persii Sat. V. 161 sqq."

Deinde idem animadvertit p. 25: „Hoc (i. e. parasitum in Men. Eun. adfuisse) cur (Ihnius) existimet causae nihil affert; excogitat, ut Thrasonis Gnathonisque interloquium III. 1 interpretetur, versus inde a 44 Eunuchi Menandri esse ratus. Sed si putemus, has personas in Menandri Eunucho fuisse tam graves adeoque ad ipsum totius fabulae nexum pertinentes, id efficitur, eas multo plura quam pauca haec locuturas fuisse, vixque intelligitur, cur Terentius, cum satis verbosarum graviumque personarum in Eunucho haberet, adsciverit Colacem. Neque vero concedendum videtur, tot tantasque in una fabula habuisse Menandrum obstatque et ipse Terentius cum dicit: »Eas se non negat transtulisse e Colace," et Donatus cum adnotat: „Parasiti personae et militis de Colace translatae sunt (ad II. 1. 22)."

Braunium, cum censeat militis et parasiti personas in Menandri Eunucho non fuisse, nimis multa ipsius Terentii inventioni adscripsisse, ita ut poeta Latinus hanc fabulam multo magis artificiose et libere quam ceteras contaminavisset, contenditque vix dubitari posse quin Luscius Lanuvinus ei crimini dedisset, si in fabulas Graecas tot nova inseruisset (Cf. Ihnius p. 9).

Deinde Regelius arguit nihil esse mirandum, quod poeta in prologo militem tantum parasitumque nominaverit, cum Luscius id tantum accusavisset, eum e Latina fabula has personas sumpsisse. Igitur hoc tantum refutare opus fuit. Haec observatio iustissima est, sed a multis neglecta.

Nencinius quoque putat militis et parasiti personas a Menandri Eunucho afuisse. Affert nova argumenta et praeterea, quae Braunius incerta reliquit, explanare conatur. Iam vidimus eum perhibere apud Menandrum avaritiam meretricis causam fuisse discordiae inter Thaidem et Phaedriam; [1]) porro hoc quoque contendit, Chremetem Menandreum fuisse senem, [2]) unde mirum in modum concludit militem et parasitum apud Menandrum afuisse. [3])

Alterum Nencinii argumentum hoc est, Pamphilam

---

1) Cf. p. 18.

2) Cf. Cap. V.

3) Cf. Nencinius p. 88: „Quae quidem opinio si recta est et militis causa personam Chremetis mutavit Terentius, inde efficitur militis personam uni Colaci deberi ideoque etiam personam parasiti".

Disputatio dialectica, nimis speciosa: quid enim obstat, quominus censeamus apud Menandrum iuxta senem adfuisse militem et cur statuendum est Terentium militis causa senem in iuvenem mutasse?

aqud Menandrum non a milite dono datam esse potuisse, quia Parmeno, qui ab ipsa Thaide acceperat puellam missam a milite esse civem (I. 2. 30), Chaeream non potuerit incitare, ut ingenuam constupraret.

Putat igitur Nencinius Parmenonem Menandreum ignorasse „de quanam puella meretrix locuta esset" et apud poetam Graecum „puellam iam pridem a „nescio quo amatore meretrici donatam aut iam inde „a parvula apud Thaidem commoratam fuisse." 1)

Haec Nencinii disputatio nititur falso argumento. Etenim quod poetam Graecam scribere potuisse negat, ut servus adulescentem instiget ad violandam ingenuam, idem imputat poetae Latino, qui procul dubio minus facile etiam tale probrum e suo ingenio in fabulam admississet.

Sed non verum est Parmenonem de ingenua puellae natura serio cogitasse. Primum v. 110, ut ipse animadvertit Nencinius, Thais dubitanter de ingenuitate puellae locuta est (cf. etiam 203) Apparet iam Donatum intellexisse, cur Thais dubitanter locuta sit,

---

1) Nencinius scripsit p. 83: „nequeo mirari satis quod Parmeno servus, qui Pamphilam civem esse probe nosset quippe qui Phaedriae et meretricis colloquio interfuisset, erili filio vitiandae virginis auctor fuerit atque adeo viam ad hoc munierit, quamquam eum quidem ignorare quae istius modi facinori poena parata esset haud sane veri simile putandum est."

p. 84: „Equidem arbitror Parmenonem in Eun. Men. ignorasse de quanam puella meretrix locuta esset, hanc autem non fuisse de ingenuitate puellae perplexe locutam".

p. 89: „Omnes difficultates facile removentur, si res ita ap. Men. gestae esse fingantur, ut puella aut iam pridem a nescio quo amatore meretrici donata aut iam inde a parvula apud Thaidem commorata sit eadem illa ratione qua apud huius matrem parvula fuisse fertur I. 2. 28 sqq."

cum ad I. 2. 30 adnotet: „Arbitror: bene „arbitror" „et nihil certi: quomodo enim ausurus esset Parmeno „adornare Chaeream ad vitiandam virginem, si prae-„scisset civem esse?" 1) et ad I. 2. 117: Me miseram „forsitan hic mihi parvam habet fidem: recte Thais „nunc partem argumenti exsequitur tacitam apud „Phaedriam propter praesentiam servi, quem poeta „(i. e. auctor comoediae, Menander) vult ita nescire, „ut audeat ad vitiandam virginem subornare Chae-„ream."

Quod attinet ad Donati verba ad I. 2. 64: „Nihil nam quaesivi nunc ego: optime purgavit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, si vitiatam virginem duceret Chaerea. Necessario ergo defenditur tamquam quae honeste nuptura est," Nencinius putat Donatum hic cum Chaereae nuptiis e Menandri Eunucho locum e Colace derivatum conglutinare et „Terentium" non significare, „poetam". Quod autem Donatus Terentii nomine utitur pro auctore comoediae, h. l. Menandro, id facere semper solet 2)

Dein Thaidis verbis vix fidem habuit Parmeno, cf. Fabia p. 13: „de même que Phaedria il a considéré tout le recit de Thais comme un tissu de mensonges." Idcirco Parmeno non graviter mentitur

---

1) Sine ulla causa Nencinius p. 84 verba illa ad Terentianam componendi artem referens, illud „arbitror, certum non scimus" Terentianum additamentum putat, oeconomiae gratia interpositum et a Thaide idcirco pronuntiatum quo veri similius fieret Parmenonem vitiandae virginis consilium dare.

2) Cf. H. T. Karsten. Comm. p. 205.

V. 4. 31, ubi ancillae roganti: „Scis eam hinc civem esse?" respondet: „Nescio". [1])

Etiamsi autem iniecta servo suspicio satis esse debuit, ut cautiorem eum faceret, tamen tenendum est Parmenonem non serio, sed per ludibrium Chaereae consilium dare, ut eunuchi veste indutus ad Thaidem ducatur (378), porro eum expressa Chaereae voluntate vix tandem victum esse invitumque concessisse (378-390). Neque in mentem venit servo, adulescentem statim eo impudentiae processurum esse, ut virginem vitiaret. Minus recte Nencinius etiam poenam imminentem adlegat, quae per ludibrium modo commemoratur (955—960) et ab ipso patre Lachete prohibetur.

Praeterea non recte sese habent, quae coniecit Nencinius. Nam si ponimus in Graeca Pamphilam iam a parvula apud Thaidem fuisse, tota narratio de matre (107—145) apud Menandrum locum non habuit, sed ipsi Terentio adscribenda est. Praeterea non intelligitur, quare Thais, cui notum fuerit Pamphilam esse civem Atticam nunc demum operam det, ut cognatos eius inveniat. Porro si virgo, quae nunc sedecim annos nata est (318), iam parvula domum intraverat, Thais ipsa tunc temporis adhuc paene puella erat, cui nondum talia dona offerebantur. [2])

Quodsi alteram Nencinii sententiam sequimur, puellam iam pridem a nescio quo amatore datam esse, iterum rogamus: quidni Thais prius investigavit

---

1) Non igitur necesse est Parmenonis responsum mendax haberi et cum Fabia p. 13 ita excusari: „pour un esclave pris en faute tout mauvais cas est niable."

2) Cf. v. 527 et Donatus ad h. l.: „Maiuscula est: diminutive dixit, ut ostenderet utramque esse primaevam"

cognatos? Porro Phaedria tunc sine dubio iam dudum vicinam Pamphilam cognovisset eiusque historiam accepisset, unde sequitur Thaidis narrationem (107 sqq.) sic quoque in Graeca fabula supervacaneam fuisse. Denique utram sequeris sententiam, manifestum est virginis deductionem (II. 2) a Menandro afuisse omniaque, quae Chaerea hac de re narrat (II. 3) ipsi Terentio tribuenda esse.

His iam satis ostendi falsos esse Braunium et Nencinium, putantes militem et parasitum a Menandri Eunucho prorsus afuisse.

Nec tamen recta est sententia Ihnii, qui putat easdem illas personas in ea fabula prodiisse. Nam praeterquam quod iusto maiorem inter Eunuchum et Colacem similitudinem exstitisse putat, explicari non potest, cur Terentius, si eae personae iam in Eunucho adessent, eas e Colace adsumpserit. [1]

Profitetur poeta ipse (prol. 30 sqq.) se militis et parasiti personas e Colace transtulisse in Eunuchum suam. Sed iam vidimus in fabulae initio Terentium non discessisse a Menandro; [2] unde quidem sequitur apud Menandrum Phaedriam quoque exclusum esse propter rivalem (militem), [3] qui Thaidi virginem

---

1) Cf. Nencinius p. 88: „Nec vero facile intellegitur, si militis et parasiti personae etiam in gr. Eun. fuissent, cur totas integrasque e Colace adsciscere maluerit Terentius, nulla causa prohibente quo minus sententias aliquas aut argutias, quibus utriusque persona artificiosius depingeretur congruentibus in Eunucho militis et parasiti personis tribueret."

2) Cf. p. 18.

3) Cf. Donatus ad I. 1. 20: „familiaris ἔλλειψις irascentibus, nam singula sic explentur: „egone illam" non ulciscar; „quae illum" recepit; „quae me" exclusit e. q. s."

Pamphilam dono daturus esset, totamque igitur narrationem de milite (rivali) et virgine (Eun. I. 2), paucis exceptis, e Menandri Eunucho desumptam esse.

Animadvertendum tamen est, in his mentionem tantum fieri de milite, sed eum non prodire in scaenam. Quodsi ceteras scaenas, in quibus prodeunt miles et parasitus, inspicimus, statim videmus, eas fabulae partes, excepta III. 2, ubi utriusque fabulae personas Terentius produxit, non arte cum ceteris cohaerere. 1) Suo loco ostendemus eas partes ex Eunucho ita eximi posse, ut non minus recte fabula cohaereat. Hinc efficio, in Eunucho Menandrea mentionem factam esse militis, sed eum non in scaenam prodiisse; parasitum vero ab ea fabula afuisse apparebit. 2) Cepit Terentius narrationem illam de milite e Menandri Eunucho, quae narratio ei suppeditavit consilium eiusmodi personae producendae, 3) ut magis variam redderet fabulam idque ei fuit contaminationis causa. Quaesivit exemplum, quod imitaretur, adscivitque Colacem, e qua fabula mutuatus est personas militis et parasiti, sed ita mutuatus est, ut quam minimum mutaret personas earumque mores. Fieri tamen non potest, quin huius rei vestigia in nostra fabula etiam nunc inveniantur. Cum autem duas priores scaenas immutatas e Menandri Eunucho fluxisse disputaverim, iam statim

1) Cf. Fabia p. 39: „les scènes où ils figurent ne sont jamais fortement unies à l'ensemble: elles y sont soudées par un bout."

2) Cf. p. 30.

3) Cf. Fabia p. 41: „Ce que Térence a trouvé dans l'Eunuque grec, c'est seulement la mention d'un soldat, rival de Phaedria. Elle lui a suggéré l'idée de mettre en scène ce soldat."

mihi est monendum aliquid inesse, quod non ex ea fabula desumptum dici debeat.

Vss. 165 –169 Phaedria dicit:

nonne ubi mi dixti cupere te ex Aethiopia
ancillulam, relictis rebus omnibus
quaesivi? porro eunuchum dixti velle te,
quia solae utuntur eis reginae: repperi,
heri minas viginti pro ambobus dedi."

Haud veri simile videtur neque usquam, quantum scio, in comoedia exemplum invenitur, iuvenem uno die duo dona tam pretiosa dare. Viginti illae minae (v. 169) suspicionem movent; hoc enim pretio puella emi solet, 1) sed serva ex Aethiopia usque (v. 471) et eunuchus, quo solae utuntur reginae (v. 168) sine dubio uterque tanti constat. V. 464 Parmeno Thaidi dicit „dona adsunt tibi," sed v. 214 Phaedria ipse loquitur de „munere nostro". Potest quidem his verbis indicare duas illas personas, sed v. 231 solus „eunuchus decrepitus" opponitur Pamphilae virgini et v. 355—357 Parmeno utitur singulari numero „donum" tantumque loquitur de eunucho et v. 984 iterum eunuchum tantum nominat dicitque Phaedriam eam personam emisse viginti minis. Manifestum est Terentium his locis, ubi convertit Eunuchum, mentionem servae Aethiopicae incaute omisisse, quia in illa fabula deerat. Etiam v 469 sqq., ubi Terentius partim secutus est Eunuchum, laudatur eunuchus, cum serva Aethiopica nominetur quidem, sed non laudetur, quod tamen e Phaedriae praeceptis (v 214) Parmenonem facere oportuit.

1) Cf. e. g. Adelph. 742, Plaut. Pseud. 50.

Hanc ob rem suspicor ex donis illis eunuchum ex exemplari primario et servam Aethiopicam e Colace a poeta Latino coniunctos esse, ut Phaedria v. 163 sqq. duo haberet, quae uni militis dono opponeret. Quod si ita se habet, manifestum est etiam in Colace adulescentem, qui meretrici servam donavit, oppositum fuisse militi cum dono.

In ea quae sequitur scaena (II. 1) Phaedria, Parmenone dona ad Thaidem deducere iusso, perficit consilium rus eundi, quod iam indicavit v. 187. Artissime haec cohaerent cum Eunuchi argumento; eunuchus enim, pro quo substituetur Chaerea, ad Thaidem ducendus est et Phaedria removendus, ne hanc rem perturbet. Haec scaena igitur e Menandri Eunucho desumpta est Sed ad II. 1. 22 Donatus adnotat: „Hic quidem est parasitus Gnatho: Haec apud Menandrum in Eunucho non sunt, ut ipse professus est (prol. 25) „parasiti personam et militis", sed de Colace translata sunt." Quae verba argumento sunt parasitum a Menandri Eunucho afuisse. 1) Hoc scholium ita intellegendum est, ut Terentius hoc loco substituerit parasitum pro alia quadam persona, quae apud Menandrum virginem ad Thaidem duceret, — etenim in Menandri Eunucho quoque Pamphila ad Thaidem ducenda erat, ut Chaerea virginis in platea conspectae amore capi posset. 2) Non igitur Donatus hoc voluit, haec quinque lemmatis verba e Colace, quam ipse non inspexit, 3) translata esse, sed ideo,

---

1) Cf. p. 28.

2) Cf. p. 32.

3) Cf. p. 10.

opinor, hanc observationem huic versui adscripsit, quia hic primum nominetur Gnatho, dum ipsa adnotatio latius pateat spectetque ad sequentem Gnathonis monologiam. 1)

Nam alteram huius actus scaenam (II. 2) in duas partes dividendam esse, certum habeo. Prior pars (1—36), paucis exceptis quae Parmeno loquitur quaeque a Terentio ipso addita videntur, 2) unius Gnathonis verba continet, quibus facete depingit perditos parasiti mores, 3) ideoque e Colace desumpta est, de altera autem parte, in qua Gnatho cum Parmenone colloquitur v. d. non consentiunt.

Ihnius p. 18 putat necessario servum in Colace eius fuisse personae, quae militis rivalis induceretur (i. e. Phaedriae) huiusque servi verba esse suspicatur II. 2, III. 1. Quamquam autem sine dubio militis rivalis eiusque servus in Colace adfuerunt — etenim hoc efficere licet ex iis, quae supra disputavi de serva Aethiopica — tamen, quae hic Parmeno loquitur, non illius servi verba esse possunt.

Primum Braunius recte monuit p. 24 sqq. Ihnium, cum disputaret servum, qui quam maxime ad Eunuchi

---

1) Cf. Fabia p. 39: „Le monologue de Gnathon (v. 1—34) est donc tiré du Colax, le dialogue qui suit est tiré de l'Eunuque. C'est dans ce sens qu'il faut interpréter la remarque de Donat au vers 228: „Haec apud Menandrum e. q. s."

2) Donatus ad II. 2. 23 adnotat: „Scitum h. hominem: mire Terentius longae orationi interloquia quaedam adhibet, ut fastidium prolixitatis evitet, velut nunc Parmeno procul audiens Gnathonem haec loquitur.

3) Cf. Athen. 6. 258 E: „Κεχαρακτήρικεν ὡς ἔνι μάλιστα ἐπιμελῶς τὸν Κόλακα Μένανδρος ἐν τῷ ὁμωνύμῳ δράματι."

nodum pertineat, partim e Colace desumptum esse, parum sibi constitisse, cum alibi contenderit Terentium ne minima quidem de suo addidisse. Idem animadvertit, servo tam callido et verboso in Colace locum non fuisse, ne longior Menandri more et intricatior exstitisset fabula.

Ipse autem Braunius, cum putet militem parasitumque a Menandri Eunucho afuisse et ignorare se fateatur, quo modo Pamphila apud Menandrum ad Thaidem deducta fuerit, sententiam haud veri similem prodidit hanc p. 33: Terentium alteram huius scaenae partem non ex una scaena, sed ex compluribus Gnathonis sermonibus effecisse.

Quoniam igitur haec scaenae pars, in qua Gnatho e militis praecepto puellam ad Thaidem deducit et cum Parmenone colloquitur, qualis hic legitur, non e Colace desumpta esse videtur, investigandum est, utrum haec deductio e Menandri Eunucho fluxerit an ipsi Terentio adscribenda sit, ut censet Nencinius.[1] Sed iam vidimus Nencinium iniuria contendisse Pamphilam apud Menandrum non militis donum fuisse. Deinde hoc quoque monere velim, prudentius esse, si qua fabulae nostrae pars alterutri exemplo tribui possit, eam partem huic exemplo tribuere quam ipsi Terentio addicere. Nonne haec deductio Menandri Eunucho convenit? Non solum Chaereae praebet valde idoneam occasionem videndae Pamphilae, sed etiam, si ponimus in Menandri quoque Eunucho virginem nunc demum a milite datam esse, facillime explicatur, quare nec Phaedria nec Parmeno adhuc Pamphilam cognovisset

1) Cf. p. 26.

eiusque historiam accepisset et quare Thais cuperet removere Phaedriam.

Mihi igitur Pamphila in Menandri Eunucho quoque ad Thaidem deducta esse videtur, sed non a parasito, sed ab alia quadam persona, e. g. a servo militis. Qui postquam prodiit, paucis verbis spectatores certiores fecit se militis donum ad meretricem deducere et deinde cum Parmenone collocutus est fere ea, quae in hac scaena leguntur. Hoc colloquium, e Menandri Eunucho desumptum, fortasse paulum amplificavit Terentius et pro servo substituit parasitum, cui Pamphilae deducendae munus imposuit.

CAPUT III.

DE CHAEREAE AETATE.

Postquam Gnatho, virgine ad Thaidem deducta, profectus est, Chaerea, frater Phaedriae prodit II. 3. In platea conspexit virginem et statim amore captus eam secutus est. Sed cum retineretur a cognato virginem e conspectu amiserat. A Parmenone certior fit eam esse apud Thaidem et cum ille eunuchum, Phaedriae donum, ad Thaidem ducturus sit, ei persuadet, ut se eunuchi veste indutum illuc introducat. Manifestum est hanc scaenam, qua Eunuchi fabulae nodus continetur et nititur, ex ea fabula desumptam esse.

Attamen Braunius et Nencinius negant haec in Menandri Eunucho eodem modo constituta fuisse. Putant non tantum parasitum, sed etiam militem ibi afuisse neque igitur Pamphilam illius donum fuisse. Quomodo autem et quando Pamphila apud Menandrum ad Thaidem venerit, Braunius p. 35 incertum reliquit.

Nencinius, ut vidimus, [1]) hanc rem explicare conatus est et p. 92 contendit Pamphilae deductionem Chaereae advenientis gratia factam unique Terentio vindicandam esse et hanc ob causam Terentium etiam in Chaereae persona fingenda a Menandro discessisse. Videamus, quo iure sic contenderit. Chaerea v. 290 „publice custos" (περίπολος, duodeviginti annos natus), v. 824 „ephebus" (sedecim aut duodeviginti annos natus)", [2]) v. 693 „annos natus sedecim" est. Inest in his controversia, sed tenendum est Terentium, qui in Graeciam profectus est „ut perciperet Graecorum instituta et mores", [3]) hic errare potuisse, Menandrum non potuisse.

Secundum Nencinium apud Menandrum Chaerea fuit sedecim annos natus neque igitur περίπολος, [4]) pri-

---

1) Cf. p. 23 sqq.

2) Cf. Nencinius p. 89: „Nam ephebiae gradus, ut constat, duo fuerunt, naturalis et civilis, quorum alter ineunte sexto decimo, alter ineunte duodevicesimo anno ordiebatur."

3) Suetonius in Vita.

4) Nencinius p. 90 sq. haec habet: „Equidem non dubito quin adulescens naturalem tantum ingressus ephebiam sc. sedecim annos natus ap. Men. fuerit his de causis: primum quod non perspiciatur quo consilio Terentius adulescentis aetatem mutaverit eumque iuniorem fecerit, tum quod in Pamphila initium amandi fecisse dicatur adulescens v. 299, 308 sqq., quamvis ad amores propensus quam maxime et ipse natura fingatur, deinde quod adulescens vixdum pubertatem ingressus facilius pro eunucho probet quam qui aetate provectior sit, ipso iudice Parmenone v. 375, postremo quod ad II. 2. 58 Donatus adnotet: „Non potest e. q. s." Unde colligitur τρόφιμον appellatum esse Chaeream in gr. Eunucho, eundem vero nequivisse latine „alumnum" appellari quippe qui ut publicus in Piraeo custos magistro vel paedagogo non iam uteretur."

primum quia non possit explicari, cur Terentius eum iuniorem fecerit; tum quia Pamphilam primam amavisse dicatur; porro quia adulescens sedecim annorum facilius pro eunucho haberi potuerit; postremo quia secundum Donatum ad II. 2. 58 apud Menandrum τρόφιμος appellatus fuit.

Ut a primo argumento incipiam, Nencinius nimium tribuit rei, quae levioris momenti aestimanda est. In permultis fabulis tales controversiae inveniri possunt (Cf. Langenus Plaut. Stud. p. 89 sq.) et Terentium incogitanter vel metri causa scripsisse sedecim, quod etiam legitur vss. 318, 526, non immerito Fabia credidit. [1])

E vss. 299, 308 effici potest Chaeream in Pamphila amandi initium fecisse, sed v. 296 se iam alias mulieres in animo habuisse indicat et v. 566 non convenit adulescenti sedecim annorum et in amore novicio; nec veri simile est innocentem paene puerum statim eo pervenire, ut vitiet virginem invitam et reluctantem. Perperam autem Nencinius iudicat adulescentem sedecim annorum facilius pro eunucho, qui plerumque aetate est adulta et corpore ampliore, probari quam qui aliquot annis maior sit; hoc non apparet e Parmenonis verbis v. 375, et Dorus eunuchus v. 608 a Pythia appellatur: „vietus vetus veternosus senex."

Postremo Nencinius e scholio Donati ad II. 2. 58:

---

1) Cf. Fabia p. 14: „C'est sans doute pour la commodité de la versification que Térence a mis „sedecim" au lieu de „duodeviginti," à moins qu'il n'y ait là une simple inadvertance de sa part."

„Sed video erilem filium: Non potest Terentius τρόφιμον dicere et ideo „erilem filium" dicit" (Nencinius: „proprie dicere" perperam), collatis scholiis ad Phorm. II. 1. 5: „Erilem filium τρόφιμον Graeci dicunt atque haud scio an Latini quoque alumnum dicere poterant nisi hoc mallent" et I. 2. 21: „Magistrum: sic Latini quem Graeci παιδαγωγόν appellant," efficit Terentium consulto evitasse, ut Chaeream, qui a Menandro τρόφιμος appellabatur, Latine vocaret „alumnum", idque ideo, quia Chaerea apud Menandrum revera adhuc τρόφιμος esset, hoc est sub paedagogo, sed in sua fabula iam ex hac aetate excessisset.

Sed haec conclusio falsa est. Etenim si Terentius Chaeream „alumnum" dicere noluit, quia non amplius utebatur paedagogo, cur Antiphonem paedagogum habentem (Phorm. I. 2. 21 sq.), non dixit „alumnum"? Responsio in promptu est: quia vox „alumnus" ei in usu non erat, eius loco dicebat „erilem filium" et his locis et alibi. Plautus bis adhibuit „alumnum": Mercat. v. 810, in lusu verborum, ubi „erilis filius" usurpari non poterat, et Cistell. v. 595. Hinc apparet, quid sit „non potest" in scholio Donati ad II. 2. 58 et cur magister aliquis in scholio ad Phorm. I. 1. 5 post Donati verba: „τρόφιμον Graeci dicunt" addiderit: „atque haud scio .... mallent."

Ceterum cum Chaerea etiam in Εὐνούχῳ uxorem duxerit, haud scio an ibi quoque plures quam sedecim annos habuerit. Idem valet de Antiphone, qui in Phormione ad matrimonium ineundum compulsus esse fertur.

Meo igitur iudicio Nencinius non probavit Chaeream apud Menandrum non fuisse publicum in Piraeo

custodem (περίπολον). Nencinius p. 91 sq. [1]) e Donati scholiis declarare conatur, cur Terentius Chaeream Piraei custodem esse finxerit, nempe ut aliqua causa esset, ob quam Thais Chaereae ignota esset. Alteram huius rei causam profert Parmeno v. 539, ubi Chaereae narrat Thaidem iis haud diu esse vicinam. Sed Nencinius e Donato ad II. 3. 69: „2. Sed nimio lepore „Terentiano iam illud agitur. Nam hic ostenditur „verisimile esse pro eunucho creditum apud vicinam „meretricem Chaeream, qui adeo ignotus sit mulieri „ut nec ipse eam noverit, quod erat facilius et promp„tius. Et additur color, quod et illa non diu vicina „est et quod adulescens in Piraeo primum commoratus „est," efficit non solum Chaereae munus, sed etiam recentem meretricis vicinitatem a Terentio fictam esse. Hanc ob rem Nencinius temere putat Phaedriam quoque haud diu novisse Thaidem et, cum e V. 5. 31 („iam diu") et e Donato ad h. v. („iam pridem") appareat Phaedriam apud Menandrum iam diu novisse Thaidem, mirum in modum concludit eam apud Menandrum iam diu iis vicinam fuisse. Multo magis

1) Nencinius p. 91 sq. sic scribit: „Si quis autem anquirat cur Terentius Chaeream in Piraeo custodem finxerit, e Donati scholiis passim colligitur id factum esse, ne cui mirum videretur, quod Thaidem adulescens non cognosceret. Ad hoc etiam vicinitatem meretricis recentem finxisse Terentium censeo idque ex Don. ad II. 3. 68 colligo: „nimio lepore Terentiano e. q. s." Ubi quoniam additicium Chaereae in Piraeo munus et meretricis recens vicinitas una commemorantur, proximum est ut etiam meretricis vicinitas recens a Terentio ficta sit. Quodsi reputaveris simul meretricem „haud diu" vicinam Phaedriae fuisse II. 3. 68, Phaedriam igitur haud diu illius amore captum, tum vero probabilius hoc fit: nam ap. Men. „iam pridem" adulescentem a meretrice corruptum fuisse testatur Donatus ad V. 5. 30; ergo iam pridem eius vicina erat meretrix in Men. Eun."

in promptu est ex his omnibus efficere eorum amorem, cum etiam apud Terentium Phaedria iam diu noverit Thaidem, non ex vicinitate ortum esse.

Deinde non verum est, quod Nencinius p. 92 ex iis, quae sic minus recte constituit, efficit, scil. Pamphilae deductionem Chaereae advenientis gratia factam atque idcirco a Terentio confictam esse, ut Gnathonem, personam Colacis, in nostra fabula producere posset. [1]) Nec, cum iniuria putet Nencinius apud Menandrum Pamphilam hic non prodiisse, veri similius fit eam non a milite donatam, sed iam antea apud meretricem fuisse et Chaerea alia quadam ratione illius amore captum esse; neque assentiendum est Parmenonem, cum deductio puellae a Menandri Eunucho abesset, eam non conspicatum esse et ignoravisse de quanam puella meretrix (I. 2) locuta esset. Nencinius quidem putat hac re explicari, cur Parmeno puellam noverit et tamen Chaereae viam ad eam vitiandam munierit, sed iam ostendi p. 23 sqq. hoc omnino non esse mirandum.

1) Vide Nencinium p. 92: „Rebus sic constitutis, sequitur ut Pamphilae deductio quae Chaereae advenientis gratia fit uni Terentio vindicetur eoque conficta dicatur ut Gnathonis persona aliunde accersita argumento implicaretur. At si puella in gr. Eun. non primum hoc loco in scaenam prodibat, illud veri similius fit quod supra coniecimus, eam non a milite donatam sed iam antea apud meretricem fuisse et Chaeream alia quadam ratione in illius amorem incidisse. Supra etiam ostendimus (p. 84) Thaidem in Men. Eun. fuisse de ingenuitate Pamphilae coram servo I. 2 sine ambagibus locutam, Terentium vero in colloquio illo nonnulla ad mutatam fabulae conditionem accommodasse: hoc non temere coniectum esse eo etiam probatur quod ex hac sola scaena II. 3 conspicitur puellam Parmenoni notam esse, verum tamen ex huius consilio agere Chaeream. At cum deductio puellae in Men. Eun. non fieret, neque illam conspicari potuit Parmeno neque scire num ea ipsa esset de qua meretrix verbum fecisset."

CAPUT IV.

DE SCAENIS III 1 et 2.

Postquam Parmeno Chaeream eunuchi veste indutum ad Thaidem ducere constituit, domum intrant, ut vestem mutent. Ante adventum Chremetis, Pamphilae fratris (III. 3), Chaerea ad meretricem ducendus eaque ipsa removenda est, ut ille solus remaneat cum virgine. Ad Thaidem removendam Terentius usus est personis militis et parasiti, qui meretricem sibi abducunt in convivium; neque autem hoc satis opportune fecisse iudicandus est. [1]) Gnatho enim iam antea ad cenam eam vocaverat (v. 266) neque opus erat militem

1) Cf. Braunius p. 34: „Quae Terentius hoc loco fabulae inseruit, ad ipsum fabulae nexum fere nullo modo pertinent. Neque satis apte aut perite eum fecisse iudicandum."

Fabia p. 39: „La scène première de l'acte III n'est en rien utile à l'action; que viennent faire chez Thais le soldat et son parasite? Ils viennent la prendre pour le festin. Mais elle a déjà reçu l'invitation et s'y rendrait bien toute seule."

parasitumque nunc simul deducere meretricem. Nihilominus his personis adscitis Terentius Menandri Eunuchum duabus scaenis lepidissimis auxit.

In priore (III. 1) prodeunt Thraso, Gnatho, Parmeno. Stupido et vano militi, facta et dicta sua inepte iactanti, haud inficete opponuntur parasiti plausus et assentatio. Omnes v. d. consentiunt priorem huius scaenae partem u. a. v. 44 (434) e Colace desumptam esse. Ihnius p. 18 aestimat pauca Parmenonis verba e Colace translata et tribuenda esse servo illius personae, quae militis rivalis inducebatur; Terentium enim, nisi in Colacis scaena iam adesset servus, eum ex Eunucho non adsciturum fuisse, praesertim cum brevitati studendum esset. Braunius p. 25 animadvertit tam pauca verba nihil valere ad brevitatem et aliis quoque argumentis ostendit hanc Ihnii sententiam stare non posse. [1]) Igitur pauca, quae interloquitur Parmeno, qui prodiit, ut occasione data Phaedriae donum ad Thaidem deduceret, a Terentio addita sunt.

Mirum quantum disputatum est, utrum alterutri Menandri fabulae an Terentio reliqui huius scaenae versus (i. a 44) tribuendi sint. Gnatho Thrasoni praecipit, ut, si Thais invitet aut laudet Phaedriam, ipse invidiae stimulandae causa iubeat arcessere Pamphilam aut simulet se amare hanc virginem. Parasitus, cum haec dicit, respicit ad convivium illud, ad quod iam invitaverat Thaidem (266). Cum enim Thraso in hoc convivio parasiti consilium exsequatur, iurgium oritur inter eum et Thaidem (cf. IV. 1), quo facto miles venit (IV. 7) meretricis domum oppugnaturus

1) Cf. p. 31.

virginemque erepturus. Videmus igitur haec omnia artissime cohaerere.

Ad nostrae scaenae v. 50 scholiasta adnotat: „Tu Pamphilam continuo: hic magna οἰκονομία est, „qua Terentius praeparat quemadmodum iurgium inter „Thaidem militemque et Gnathonem per duas partes „serpat fabulae." GRAUERTUS contendit p. 170: „diese duae partes fabulae sind eben die aus den beiden verschiedenen Komödien"; eadem est opinio FABIAE p. 44: „Ce que Donat appelle les deux parties de la pièce, ce sont sans nul doute, les éléments fournis, d'un côté par l'original principal (Eun. Men.), de l'autre par l'original secondaire (Col. Men)." Sed haec interpretatio non certa est. Huius scholii sententia eadem esse debet ac scholii ad v. 44: „Purgon „ego me de ista Thaidi: οἰκονομία ad litem futuram „inter militem et Thaidem," et ad IV. 1. 10: „Heus „inquit puer: hic ostenditur, quod supra (h. l.) est „apparatum" et ad III. 2. 48: „Si forte huc Chremes „advenerit: οἰκονομία ad litem futuram et exitum „fabulae." Scholium igitur nostrum sic explicandum: hic magna οἰκονομία est, qua Terentius praeparat iurgium in convivio. Verba tamen mira sunt. Primum etiam Gnatho nominatur; fieri potest, ut Donatus h. l. spectet ad ea, quae parasitus dicit IV. 7. [1]) Quo modo deinde explicanda sunt verba: quemadmodum iurgium serpat (= paulatim propagetur cf. malum, morbus, cura serpit.) per duas partes fabulae? Nondum in quaestionem venit, qua significatione voca-

1) Braunius (p. 34 not.) et Nencinius (p. 97 not.) verba „et Gnathonem" interpolata esse putant.

bulum „pars" etiam alibi apud Donatum legatur.

Donatus scripsit ad And. II. 1. 1: „In hoc colloquio altera pars ostenditur fabulae e. q. s." Hoc loco „altera pars" revera videtur esse Terentii additamentum; [1]) praeter Pamphilum enim Terentius produxit Charinum adulescentem, quia in eius fabulis, una Hecyra excepta, semper duo adulescentes prodeunt.

Ad. Ad. prol. 9. haec habet: „Inprima fabula pro in prima parte (fabulae)."

Ad eiusdem fabulae I. 1. 1 (2) „primae partes (cf. prol. 23) a senibus aguntur," i. e. duae priores scaenae (I. 1 et 2). In nostro igitur scholio „duae partes" esse possunt duae scaenae, quae pertinent ad iurgium, IV. 1 et 7. (Cf. Eun. Praef. Wessner I. p. 269: „In quarto actu Dorias nuntiat iurgium inter militem et Thaidem" et Don. ad IV. 6. 1: „recens a litigio.")

Deinde inspicienda sunt Excerpta de comoedia. In editione Wessneri (I. p. 27) legitur: „Comoedia „autem dividitur in quattuor partes: prologum, *πρότασιν*, *ἐπίτασιν*, *καταστροφήν*." Hanc divisionem Donatus quoque nominat in praefationibus (Cf. praef. And. Eun. Wessner p. 35, 265) et in scholiis (cf. ad Eun. I. 1. 1: in hac *προτάσει* e. q. s."). Tunc igitur „duae partes" sunt: *ἐπίτασις*, involutio argumenti, et *καταστροφή*, explicatio argumenti (Wessner p. 27 sq.); his partibus iurgium et quae inde sequuntur continentur. Haec mihi iusta huius scholii interpretatio videtur.

Quod vero Donatus hanc oeconomiam Terentio adscripsit, omnino non est mirandum; hoc enim facere

---

1) Cf. Sipkema p. 81 sqq.

solet. Kampius (p. 11) [1]) hoc iam suspicatus est (Cf. infra. Vide etiam Karsteni Comm. p. 205 sqq.)

Minus recte Grauertus (p. 170) et Nencinius (p. 96 sq.) [2]) e Donati verbis effecerunt hanc scaenae partem a Terentio compositam esse.

Fabia p. 43 sq. putat praeceptum Gnathonis (50 sqq.) iurgiumque, quod ex eo postea orietur inter Thaidem Chremetemque et militem pertinuisse ad oeconomiam Eunuchi. Cum tamen miles et parasitus in ea fabula non prodierint, nec praeceptum illud, nec iurgium inde desumpta esse possunt; neque igitur opus est cum Fabia censere, haec Colaci attribui non posse, quia, si ponimus in ea fabula iisdem de causis iurgium ortum esse, iusto maior inter utramque fabulam similitudo intercederet.

Etiam Ihnius (p. 18 sqq.) iurgium pertinere putat ad Eunuchi oeconomiam, sed perperam ratus militem et parasitum in Menandri quoque Eunucho adesse, hanc scaenae partem ei fabulae deberi opinatur, ut explicet, quomodo iurgium illud ex Gnathonis praecepto oriatur.

Alia est opinio Braunii. Cum Thraso postea non ex Gnathonis praeceptis Thaidis amorem stimulet,

---

1) Cf. Kampius p. 11: „Wahrscheinlich ist auf die Angabe des Namens Terentius nicht viel zu geben e. q. s." Animadvertendum est v. d. parum sibi constitisse, cum eadem pagina nonnihil tribuat absentiae eius nominis in schol. ad III. 2. 48.

2) Cf. Grauertus p. 170: „Demnach lässt sich wohl behaupten, dass Donat zu III. 1. 50 angedeutet hat, Terenz sei hier selbständig verfahren, wenn er sagt: hic magna e. q. s.

Nencinius p. 96: ‚Quae vero porro III. 1. 45 sqq. Thrasoni praecipit Gnatho ad Eunuchi oeconomiam pertinent ideoque sine ulla dubitatione uni Terentio debentur."

sed ad vim et contumelias descendat neque Gnathonis consilium perficiatur, Braunius p. 34 putat scholiastae adnotationem ad III. 1. 50 falsam esse et contendit, cum maior rixae pars inter cenam post scaenam ageretur, fortasse in Menandri Colace maiorem rixae partem in scaena actam esse ad eamque haec militis et parasiti verba pertinere. 1)

Kampius, ut iam vidimus, censet (p. 11) Terentii nomen in nostro scholio parvam habere auctoritatem et militis parasitique colloquium e Colace desumptum esse, quam fabulam non inspexerit scholiasta, quo factum sit, ut saepe poetae Romano attribuatur, quod debeatur auctori comoediae Graecae. Cum autem Chremetis persona et in Eunucho et in Colace Menandri prodiret, verisimile putat, oeconomiam illam pertinere ad Menandri Colacem. Optime v. d. ille mihi videtur hoc adumbrasse. De iurgio illo enim tantum mentio fit in iis fabulae partibus, quae e Colace desumptae sunt (IV. 1. 5. 6. 7 V. 7). Haec sententia etiam eo confirmatur, quod iam dixi p. 28, in Menandri Eunucho eodem modo, quo in nostra fabula mentionem factam esse militis, sed eum non prodiisse, parasitum vero prorsus afuisse.

Cum igitur appareat posteriorem quoque huius scaenae (III. 1) partem e Colace desumptam esse, statuere licet hanc scaenam totam ex ea fabula fluxisse.

Dum Thraso Gnatho Parmeno ante Thaidis domum versantur, ipsa prodit III. 2 et militi gratias agit propter virginem acceptam. Deinde Parmeno ei

---

1) Cf. Braunius p. 34: „Sed hanc scaenae partem e Colace desumptam putes e. q. s."

Phaedriae dona offert eaque laudibus ornat; quibus acceptis mandatisque Pythiae datis meretrix cum milite abit ad cenam.

Tametsi haec scaena omnibus numeris absoluta videtur, haec concinnitas non debetur exemplo Graeco, sed arti Terentianae, quandoquidem omnes concedunt eam neque in Eunucho, neque in Colace sic se habuisse, ut nunc legitur. [1]) Ne Ihnius quidem hoc affirmare dubitavit, qui de ea has coniecturas protulit p. 19: „Quae ibi de eunucho dicuntur, non possunt „non ex cognomine fabula esse descripta. At in eadem „scaena verba sunt Thrasonis Gnathonisque; quare „aut statuendum non Colacis, sed Eunuchi esse hunc „militem et parasitum; . . . . . aut segregandae sunt „tres in hac scaena partes, ita ut 1—7 et 41—51 „dicamus e Colace translatos atque quod medium est „vindicemus Eunucho, modo quae apud Terentium „Thrasonis verba sunt, dentur parasito."

Deinde in adnotatione: „Paucis mutatis v. 7—44 „distribui possunt inter servum, meretricem et para- „situm; nempe eiiciendum est „vix" e v. 19 et „huic" e v. 37." Nituntur hae coniecturae opinione, a nemine nunc probata, in Menandri Eunucho etiam parasitum partes egisse.

Braunius p. 34 sq. [2]) „priores versus e Colace

---

1) Nencinius, quantum video, de hac scaena opinionem non protulit.

2) Braunius p. 34 scripsit: „Versibus 1—10 Thraso Thaidis domum, ut eam ad epulas arcessat, profectus, ante portam cum ea colloquitur; verbosius quidem eum collocutum quam paucis his verbis Terentii, atque hanc Colacis scenam, quam 10 versibus complexus est, multo breviorem effecisse Terentium iudices."

desumptos esse" concedit, sed ita ut Terentius contraxerit eam Colacis scaenam, in qua miles cum meretrice colloquitur. Idem „cetera maximam partem a Terentio composita" putat, qui ea, quae ad Eunuchum pertineant, ex Eunuchi scaena, Thrasonis Parmenonisque iurgium ex Graecarum fabularum quadam desumpsisset. In hoc autem Braunius non audiendus est, quod tertiam fabulam in contaminationis culpam vocat contra ea, quae et Eunuchi et aliarum fabularum prologi diserte docent.

Iam antea (260) Gnatho Thaidem ad cenam vocaverat; IV. 1 Dorias narrat inter cenam iurgium ortum esse inter militem et Thaidem. Ex iis igitur, quae in hac scaena leguntur, efficere licet in Colace scaenam fuisse, in qua Thais militi gratias egerit et cum eo abierit ad cenam. Ad hanc scaenam referri possunt 1—7 et 41—47, iis exceptis, quae Parmeno loquitur. [1]) In Colace hanc scaenam multo longiorem fuisse, non est quod diserte moneam. Militem etiam in hac scaena suo more magnificentius locutum esse, fortasse efficias ex 497 sq, ubi parasitus, ineptum quoddam dictum ridens, ut assentetur militi, commemorat „illud de Rhodio dictum" ex praecedenti scaena, quos igitur versus a Terentio loco motos esse Fabiae (p. 45) [2]) non assentior.

---

1) Quae intericit Parmeno, a Terentio addita sunt. Cf. p. 41.

2) Cf. Fabia p. 44 sq: „Le dernier trait de Gnathon nous ramène au Colax: il rit, dit-il, en songeant au bon mot que Thrason lui a raconté dans la scène précédente. Nous possédons encore le fragment grec correspondant (vide Cap. VIII); il se trouvait sans doute à la fin de la scène où le parasite prodiguait ses flatteries au soldat; Térence l'a seulement déplacé."

Quae ad eunuchi deductionem et laudationem pertinent (8—32), iis exceptis, quae ad militem parasitumque referenda sunt, sine dubio ei Eunuchi scaenae debentur, in qua Parmeno eunuchum ad Thaidem duxit. Fortasse Thais et Parmeno in ea fabula plura collocuti sunt et meretrix servum iussit Phaedriae gratias agere. Ad hanc scaenam etiam revoco 39—40 et 47—53. Thais enim domo removenda erat. Quodsi hos versus cum insequentis scaenae (ex Eunucho) [1]) v. 25—33 comparamus, videmus Pythiam mandata Thaidis tam accurate persequi, ut res ipsa suadeat, ut censeamus haec ad eandem fabulam pertinuisse; quae Thais de virgine dicit (51 sq.) etiam e Fabiae sententia (p. 44) [2]) Eunucho debentur.

E versu 538 discimus Chremetem deduci ad militem, i. e. ad militis cenam, in qua Thais aderat (Cf. etiam IV. 1); cum tamen cena illa a Menandri Eunucho afuerit, certum est Chremetem in ea fabula non ad cenam deductum esse. [3]) Sed quidni censemus meretricem aliam ob causam, e. g. ut ei gratias ageret, in ea quoque fabula ad militem ivisse Chremetemque eo perductum esse? Convenit hoc Menandri Eunucho, ne spectatores huius personae in initio

---

1) Cf. p. 50.

2) Cf. Fabia p. 44 „La présentation proprement dite avec l'éloge que Parménon fait de son maître et la critique indirecte qu'il fait du soldat — l'esclave s'acquitte de la mission que Phaedria lui a confiée — ainsi que les instructions de Thaïs à Pythias proviennent de l'Eunuque grec".

3) Cf. Nencinius p. 97: „Post meretricis profectionem, cuius causa quae fuerit ap. Men. in obscuro est, Chremes in scaenam prodit III. 3: quem quidem quo miserit Pythias, convivio in Men. Eun. deficiente, non liquet.

fabulae commemoratae obliviscerentur. Deinde post II. 3 Chaerea III. 2 eunuchi veste indutus prodiit; cui ne tempus vestis mutandae deesset, fortasse in Menandri Eunucho quoque inter eas scaenas brevis scaena fuit, in qua fere nemo nisi Thais cum Pythia prodire potuit, ut gaudium ostenderet et narraret se ad militem ituram esse, ut ei gratias ageret. Parmeno eam retinuit, ut ei eunuchum offerret; quo accepto mandatisque Pythiae datis Thais ad militem profecta est; deinde Chremes eodem deducitur et postea cum Thaide redit.

Postremo animadvertendum est Terentium servae Aethiopicae e Colace assumptae non oblitum, hic huius deductionem (16—18) cum eunuchi deductione coniunxisse, tum Thrasonis Parmenonisque iurgium (33—38) de suo addidisse

CAPUT V.

EX UTRA FABULA CHREMETIS PERSONA DESUMPTA SIT QUAERITUR.

Ut iudicemus de Chremete, inspiciendae sunt scaenae III. 3, IV. 5. 6. 7.

Primum rogatur prodieritne Chremes in utraque Menandri fabula? Qualis fuit haec persona apud Menandrum? Altera quaestio est, utrum Terentius ex alterutra Menandri fabula assumpserit hanc personam, an ex utriusque fabulae personis Chremetem suum composuerit? Quodsi appareat eum hoc fecisse, exstentne fortasse huius contaminationis vestigia: sitne Chremes IV. 5. 6. 7 eadem persona? sitne Chremes III. 3 similis eius Chremetis, qui postea prodit?

In Menandri Eunucho opus fuit prodire fratrem virginis vitiatae, cui Thais eam restitueret. Hinc manifestum est III. 3 ex Eunucho esse desumptam. [1])

1) Chremes etiam prodit V. 3, ubi Sophronam nutricem arcessivit. Haec scaena brevissima hanc ob rem quoque ad Eunuchum referenda est.

Nam in ea scaena Thais Chremetem, quem ad se arcessitum interrogaverat de sorore antea Sunii surrepta, iterum arcessivit (528), ut certiorem faceret se ei sororem restituere posse. Hoc ne suspicatus quidem Chremes apud Thaidem venit, sed cum haec domi non sit et adulescens nec redire nec manere velit, deducitur ad militem.

Chremes, qui in hac scaena prodit, suspicatur Thaidem sibi insidiari (515, 532); metuit ne meretrix aliquid lucri a se facere (520) aut se ipsius sororem esse mentiri velit (524 sqq.). Cur ei molesta est? Iam bis ad eam venit, negat se tertio venturum esse. Quatenus igitur ex scaena breviore efficere licet, adulescens est suspiciosus quodammodo, qui diligenter curat rem suam neque cupit sibi negotium cum meretrice esse. Quodsi praeterea reputaveris eum dicere (519) sibi Sunii rus esse et (533) se rus ire et Donatum ad III. 3. 25, 26 [1]) eius rusticitatem significare, non negabis, opinor, hunc Chremetem esse adulescentem rusticum, parcum, bonis moribus praeditum.

Omnes v. d. consentiunt oppugnationem domus Thaidis IV. 7 e Colace desumptam esse. In ea igitur fabula iuxta Thaidem etiam prodiit adulescens. Sed haec Chremetis persona — quia Terentius nomina mutavit, frustra inquiras fueritne huic personae apud Menandrum idem nomen ac personae Eunuchi — alia

1) Donatus ad III. 3. 25: „Ego sum Chremes: vide quantum distet ac varia sit huius rusticitas „ego sum Chremes" a faceta meretricis disciplina „ o capitulum lepidissimum"; nam rusticum esse statim magis apparebit, ubi dixerit „rus eo".

Idem ad v. 26: „Dico ego mihi insidias fieri: blandimentum rusticus insidias putat".

ratione cum Thaide coniunctus erat; non enim erat frater virginis surreptae, sed multo magis rivalis militis. [1])

Deinde etiam IV. 5 et 6 mihi e Colace desumptae videntur. Perperam enim Braunius p. 36 perhibet IV. 5 pertinere ad Eunuchum. Cum enim militis cena, unde Chremes hic revertitur, e Colace fluxerit atque Braunius ipse adfirmet „Chremetem alio modo, quoniam rixa militis Menandri Eunucho non insit, Thaidem convenisse" quam in militis cenam, hanc quoque scaenam Colaci dandam esse censeo.

In Colace igitur Chremes, postquam ad militem deductus atque, ut ex IV. 1, quae scaena etiam pertinet ad Colacem, perspicitur, in cenam admissus est, ita vino se invitavit, ut IV. 5 semigravis ad Thaidis domum redierit, Status sui non ignarus apertius et vanius dicit se nimium vini hausisse (727 sqq.) et affabili et blanda oratione Pythiam prosequitur (730 sqq.) et ita loquitur, ut Donatus (ad 2, 3, 6, 10) [2]) eius orationem laudet.

Ihnius, quantum video, tacet de scaenis III. 3 et IV. 5 et comparata Chremetis indole in scaenis IV. 6 et 7, putare videtur (p. 19 sq.) IV. 6 ex Eunucho fluxisse; scilicet cum Chremes IV. 6 „timidus et paullo stupidior" sit, idemque IV. 7 se praebeat

---

1) Cf. Ihnius p. 19 sq: „Chremetem quidem nominari apud Terentium eum, qui Thaidem contra militem defendat, sed re vera eam esse personam, quae rivalis partes in Colace sustinuerit".

Fabia p. 38 not: „dans la scène originale le soldat avait pour adversaires une courtisane et un rival dont Térence a fondu le rôle avec celui de Thaïs et de Chrémès".

2) De Chremetis oratione Donatus dicit ad IV. 5. 2: „nihil elegantius", 3: „Bene", 6: „quam scite dictum", 10: „sapientius et facetius (dictum) quam ab ebrio rustico adulescentulo debuisset".

„strenuum et animosum" censet Chremetem, qui IV. 7 Thaidem contra militem defendit, aliam esse personam i. e. illam, quae in Colace militis rivalis prodierit.

Haec tamen controversia facillime ita solvitur, ut ponamus, adulescentem IV. 6 militis adventu perterritum (755 sqq.) Thaidi suasisse, ut domi se includeret ipsumque se subducere cupivisse, ut advocatos arcesseret (763 sq.), sed meretricis adhortationibus retentum esse eundemque deinde IV. 7 primum adhuc fuisse timidum (786 sqq.), sed postquam viderit meretricem militi parem esse et hunc iam tergiversari nec quidquam periculi esse, ipsum se interposuisse et satis strenue militi dixisse, quid rei esset. [1])

Braunius p. 36 [2]) IV. 6 eatenus Eunucho deberi censet, ut Terentius Thaidis cum Chremete colloquium, quo de Pamphila cive agatur, ex ea fabula transtulerit, cetera ipse composuerit.

---

1) Hunc in modum iam Braunius p. 26 et Fabia p. 46 Ihnii sententiam refutaverunt. Braunius paulum verbis rem exaggerare videtur cum scribat: „quum (Chremes) IV. 6 pavore paene mortuus esset, meretricis forti animo et adhortationibus, portis clausis (v. 14), haud minus ineptis militis minis a Thaide illusis animum recipiat, primum paucis verbis militem alloquatur, deinde male acceptus satisque se tutum post portas clausas ratus conviciis adoriatur adversarium animumque praebeat". Vide num v. d. e 784 (cf. 763 sqq.) recte effecerit portas clausas esse.

2) Haec sunt verba Braunii (p. 36): „Atque si quis Colacis esse hanc scenam disputet, ne in Colace quidem eam ita comparatam fuisse licet, quoniam in ea fabula de Pamphila cive libera aperienda nihil agitur. Transtulit igitur ex Eunucho Terentius nil nisi ipsam rem actam, Thaidis cum Chremete colloquium quo de Pamphila cive agitur; Chremetis ebrietatem timoremque, narrationem quae de epulis fit, Thaidis adhortationes, quae scaenae 5 et 6 insunt, etsi permultas sententias dictaque e Colace mutuatus est, ipse composuisse putandus".

Haec etiam est opinio FABIAE (p. 42) [1]) et NENCINII (p. 98), qui praeterea censet hanc scaenam ita a poeta nostro mutatam esse, ut non possit constitui, qualis fuerit apud Menandrum. Certe in Menandri Eunucho scaena non defuit, in qua Pamphila Chremeti fratri reddita sit, quaeque ea scaena continuerit, conicere licet. Qui versus in nostra scaena ad hanc rem spectant (743—54, 766, 67) non ex ea scaena desumptos, sed a Terentio compositos puto, primum quod multa insunt, quae ad militem, personam Colacis, pertinent; tum quod ea, quae de Pamphila dicuntur, nimis breviter et quasi in transitu commemorantur. Sine dubio in Menandri Eunucho haec pluribus verbis et magis opportuno tempore acta sunt. Chremes enim certior faciendus erat de rapina ceterisque sororis casibus et signa erant monstranda (cf. 520 sqq.) Ad hanc scaenam etiam pertinere videntur, quae Chremes dicit de Sophrona nutrice adducenda IV. 7. 37,

Multo igitur veri similius mihi videtur Terentium, qui IV. 5 et 7 e Colace mutuatus est, etiam in IV. 6 componenda Colacem adhibuisse, ad quam fabulam ea, quae cum militis adventu cohaerent (739—42,

---

1) Fabia p. 42 haec habet: „Toute la sixième scène de l'acte IV provient de l'Eunuque, sauf le passage où Chrémes signale l'approche du soldat et de son armée à Thaïs qui s'efforce de le rassurer (v. 754—762)".

Cf. tamen idem p. 43: „au lieu de considérer, ainsi que nous le faisions tout à l'heure les vers 754—762 comme une addition originale, ne pourrait-on supposer qu'il y avait dans le Colax une scène où Thaïs attendait de pied ferme l'attaque du soldat et encourageait à la resistance le rival de celui-ci? Térence aurait alors fondu cette scène avec la scène de l'Eunuque où la courtisane révélait son secret au frère de Pamphila et où celui-ci partait pour aller chercher la nourrice".

755—65, 768—70), sicut hic leguntur, optime referri possunt, poetamque nostrum hic, ut in III. 2, utriusque fabulae, Eunuchi et Colacis, scaenam artificiose coniunxisse.

Quae cum ita sint, alterius quaestionis responsio in promptu est: Terentius ex utriusque fabulae personis Chremetem suum composuit. Ea enim, quae IV. 6 et 7 ad Chremetem pertinent, ad unam personam referri possunt. Ea quoque optime conveniunt Chremeti, qui prodit IV. 5, sed is non adulescens rusticus habendus est. Ex huius scaenae colore manifestum est hunc Chremetem fuisse adulescentem urbanum, liberiorem, puellas se sectari vinumque amare iactantem, plerumque protervum et insolentem, sed ubi res agitur, ignavum et timidum. Sin autem — quae res ab Ihnio et Fabia neglecta est — harum scaenarum Chremetem comparamus cum Chremete, qui prodit III. 3, ex iis, quae disputavi p. 51 apertum est has personas multum inter se differre neque Terentio contigisse ut eas probe concinnaret. In scaenis IV. 1, 6, 7 Chremes partim est frater, cui soror restituenda est (persona Eunuchi), partim conviva militis et adiutor meretricis (persona Colacis). Versus 6 et 7 scaenae IV. 1 (620, 21) inutile poetae Latini additamentum habeo; de scaena IV. 6 supra disputavi; e IV. 7 versus de Pamphila, Chremetis sorore, a Terentio additos (805—8), facillime eximi possunt. 1)

---

1) Cf. Fabia p. 42: „Dans la scène suivante (IV. 7), qui est tout entière tirée du Colax, Térence a seulement introduit quelques modifications de détail que rendait nécessaire la substitution de Chrémes, frère de la jeune fille réclamée par le soldat, à un simple rival de celui-ci (v. 805 sqq)."

Videamus nunc, quid Donatus nos doceat de Chremetis persona.

Ad III. 3. 1 scholium legitur, conflatum e duobus scholiis diversis: „1 Profecto quanto magis magisque „cogito: haec persona apud Menandrum adulescentis „rustici est. 2. Et inconsequens oratio est, sed con„ceditur secum loquentibus multa transcendere, quae „taciti intellegunt. Est enim integrum hoc modo: „profecto quanto magis magisque cogito, nimirum „intellego vel invenio quod dabit haec Thais mihi „magnum malum. Potest autem „nimirum" et pro „confirmatione accipi ut nihil desit et sit „nimirum" „sine dubio, pro certo."

De altero scholio Grauertus p. 156 recte mihi adnotare videtur: „Nach diesem „est" ist Punkt zu setzen; nicht wie in den Ausgaben, das folgende et inconsequens oratio est bloss durch ein Komma getrennt damit zu verbinden. Denn diese inconsequens (d. i. ohne Zusammenhang) oratio soll die des Terenz (i. e. quam Terentius Chremeti subicit) an der Stelle sein, wie sich aus dem Folgenden ergibt: sed conceditur e. q. s.; auf dieselbe Art gebraucht der Scholiast gleich darauf consequens."

Braunius p. 36 hoc probat: „Recte adnotavit Grauertus, ea quae sequuntur verba „et inconsequens oratio est" pertinere ad Terentium", sed non video unde v. d. effecerit id, quod addit: „iisque (verbis) significari quae Chremes loquatur ad eius modi personam non quadrare."

Attamen Nencinius Grauertum et Braunium impugnat et haec verba refellere conatur p. 86 not. 2: „At quadrat quam maxime in rusticum et adulescen-

„tem oratio non omnibus dialecticis numeris absoluta „nec certo sententiarum nexu adstricta, quam signi„ficavit Donatus."

Ideo Braunius et Nencinius mihi videntur a recta via aberrasse, quod haec adnotatio omnino non spectat ad Chremetis indolem, sed tantum ad structuram grammaticam.

Accedit, quod hoc scholium suspectum est. Agit de eadem re atque insequens scholium ad v. 2: „1. „Solve „nimirum" et fac „non est mirum", et statim „consequens erit per ἀσύνδετον tota sententia, quasi „dixerit „non est mirum" et subdistinctione interposita „mox intulerit „dabit haec Thais mihi magnum malum." „Nam „ni" ne significat et „ne" non: „ni" pro „ne" „Vergilius (Aen. III. 685—86) „leti discrimine parvo, „ni teneant cursus;" „ne" pro „non" Plautus (Epid. „IV. 2. 16. alibi) „ne vult" pro „non vult". Quia his verbis recte locus explanatur et apta exempla addita sunt, hoc scholium Donato dandum est, sed alterum (2. ad v. 1) verisimiliter ab alio magistro profectum est quodam, qui perperam inserere voluit „intellego" vel „invenio". Quae addita sunt: „potest autem e. q. s." iustam praebent explicationem ex insequenti Donati scholio petitam

Transeo iam ad adnotationem priorem. GRAUERTUS (p. 156 sq.) 1) ex his verbis effecit discrimen fuisse

1) Cf. Grauertus p. 156: „Er hatte also ein Landgut in Sunium .... und mochte sich dort die meiste Zeit aufenthalten, daher auch weniger die städtischen Sitten haben; dennoch konnte, nach Terenz, sein eigentlicher Wohnort in der Stadt sein, wie ziemlich klar ist; wogegen Menander ihn zu einem vollständigen Landmann machte."

inter Chremetes Eunuchi Graeci et Latini. Cum tamen etiam apud Terentium ille sit adulescens rusticus, utriusque rusticitatem refert ad domicilium et discrimen in eo tantum positum putat, quod apud Terentium in urbe habitaverit, apud Menandrum ruri semper degerit.

Braunius p. 37 hanc ficticiam interpretationem merito reiciens censet rusticitatem Menandri „ad stul„titiam quandam atque fatuitatem, tum simplicitatem „probitatemque" spectare Terentiumque hanc ingenii partem neglexisse. Sed modo vidimus Terentium hoc nequaquam neglexisse et Chremetem III. 3 revera eundem characterem repraesentare.

Propter hanc similitudinem Kampius p. 12, Donati scholium mancum ratus, eicere vult verba „apud Menandrum."

Nencinius, cum secundum Donati scholium ad III. 3. 1 aliquid interfuerit inter Chremetem Terentianum et Menandreum, hoc discrimen non positum fuisse putat (p. 87) in rusticitate sed in aetate (vide supra p. 60) Chremetemque igitur apud Menandrum fuisse senem et in scholio fortasse excidisse post „Menandrum" verba „senis, hic."

Donati scholium mihi mancum esse non videtur. Ut recte intellegatur quid sibi velit, alia scholia conferenda sunt.

Ad Adelph. III. 2. 53 de Hegione, qui in fabula Latina est propinquus Simuli, Sostratae uxoris, adnotat Donatus: „Apud Menandrum Sostratae frater inducitur."

Ad eiusdem fabulae V. 8. 15 Donatus scribit: „Apud Menandrum senex de nuptiis non gravatur."

i. e. apud Menandrum senex non difficilem se praebet de nuptiis (Cf. V. 8. 19 et Donat. ad h. v.) [1])

His igitur locis revera aliqua discrepantia est inter fabulam Graecam et Latinam ideoque veri simile videtur nostro loco etiam aliquid interesse inter Chremetem Menandreum et Terentianum; quod discrimen, ut supra vidimus, revera exsistit inter Chremetem Eunuchi, quem cognovimus e III. 3, et Chremetem actus IV, cuius personae, cum e Colace fluxerit, longe diversa indoles est. Inde sequitur hoc scholium pertinere ad IV. 1 et fortasse a Donato perperam hic adscriptum esse, quod eo facilius explicari potest si Donatus, ut Wessner putat, ipse fabulas Graecas omnino non inspexerit. [2])

Nencinius sententiam nimis audacem et lubricam de Chremete aperuit. Propter prol. 23—26 negat p. 79 ullas personas praeter militem et parasitum e Colace a Terentio translatas fuisse; sic enim poeta novum furti crimen peperisset, quod Luscius tacite praeterire non potuisset, praesertim si Terentius tam accurate arteficioseque exculptam personam, qualis est Chremes, e Colace arcessivisset (ibid. p. 85).

Hac tamen ratione non prorsus refelluntur ii, qui putant Chremetis personam partim ex Eunucho, partim e Colace desumptam esse. Cum enim talis contaminatio poetae crimini non daretur, hac de re se defendere ei opus non fuit.

Deinde animadvertit (p. 85) meretricem in colloquio (II 2) dicere se cognatis reddere velle Pam-

---

1) Vide de his scholiis Sipkema p. 33 et 58.

2) Cf. p. 10 not.

philam, ut amicos beneficio sibi paret. Haec cum dicit Thais, Chremetem respicit. Valde igitur miratur eam Phaedriae ipsius amicitiam minoris facere quam Chremetis, timidi et fatui adulescentuli, Sunii plerumque degentis.

His de causis Nencinio certum videtur, Chremetem de Menandri Eunucho manasse, eundem vero a Terentio aliter depictum esse. Contendit apud Menandrum Chremetem fuisse senem, cuius rei haec affert argumenta (p, 86 sq.): [1])

Primum animadvertit in nova comoedia Χρέμης semper nomen esse senis; porro, si senex ille fuit, facile explicari, cur apud Menandrum meretrix eius amicitiam tanti fecerit ac rursus cur Terentius senis personam parum idoneam, quae militi opponeretur, immutaverit; deinde contendit tenorem totius scaenae III. 3 melius quadrare in avarum religiosumque senem quam in adulescentem quantumvis rusticum Terentiumque hanc mutationem admisisse, ut verisimilior fieret Thrasonis zelotypia.

---

1) Nencinius p. 87 haec habet: „Chremes Terentianus a Menandreo sine ulla dubitatione diversus est; qualis apud Men. fuerit non constat; sed, quantum conici potest, non videtur stultus adulescentulus fuisse. Ex nominis quidem etymologia senem ap. Men. fuisse colligitur. Quod si censemus, multa perspicua fiunt quae nunc obscura sunt. Hinc enim explicatur cur eius amicitiam tanti fecerit meretrix itemque cur senis persona parum idonea visa sit Terentio quae militi opponeretur i. e. personae de Colace sublatae, eamque ideo poeta immutaverit. Tum sensus totius scaenae tertiae act. III, quae de gr. Eun. parum mutata accessisse videtur, melius in avarum religiosumque senem quadrat meretricios amores aspernantem quam in adulescentulum quantumvis rusticum. Postremo si Donati scholium mancum est e. q. s."

Iam vero, ut incipiam a primo Nencinii argumento, nusquam docemur Chremetem plerumque Sunii degere. V. 533 legitur quidem „rus eo" sed animadvertendum est adulescentem, quotiescunque arcessitur, continuo praesto esse Thaidi. cf. 510, 528, 533. Dein minus recte Phaedriae amicitiam comparavit cum amicitia Chremetis; alterum enim amoris, alterum praesidii causa Thais sibi adiunctum esse cupit. Cf. Donatus ad I. 2. 68: „aliud est amator, aliud amicus."

Quod nomen Χρέμης in nova comoedia semper nomen est senis, argumentum haud magni ponderis mihi videtur, cum minime constet nomen a Terentio non esse mutatum. 1) Et hocine credibile, si apud Menandrum Chremes esset senex, Terentium, cum eum mutaverit in adulescentem, non aliud ei nomen dedisse, cum etiam nomina Thrasonis et Gnathonis, quorum personas tamen immutatas transtulit, mutaverit?

Neque apparet, cur Thaidi pluris aestimanda esset amicitia senis quam adulescentis divitis, bonis moribus praediti, Sunii rus habentis. Verum quidem est senis personam parum idoneam esse, quae militi opponatur, sed quis neget adulescentem rusticum, timidum, fatuum haud magis idoneum esse militis aemulum? Licet rogare, cur Terentius, si id ageret, ut ipse crearet personam, quae esset patronus Thaidis simulque rivalis militis, creavisset adulescentem rusticum et

---

1) Sentit hoc ipse Nencinius, cum scribat p. 85: Quodsi posset certo adseri huius saltem personae nomen non mutatum esse a Terentio, hinc certa ratione efficeretur Chremetem non fuisse ap. Men. adulescentem: nam in nova comoedia Χρέμης constanter nomen senis est."

timidum, cum nihil obstaret, quominus crearet fortem et strenuum? 1)

Deinde omnino falsa sunt, quae disputat de III. 3. Non est senis avari et religiosi semel iterumque apud meretricem venire, cum arcessitur (510, 533); non habet sororem sedecim annorum (526), non est minor natu quam Thais (524), non deducitur ad cenam militis (503, 538). Haec autem omnia optime quadrant in adulescentem religiosum, rusticae simplicitatis et parsimoniae.

Cum igitur Nencinii argumenta ex omni parte laborent eiusque coniectura de Chremetis persona reicienda sit, restat, ut expediam, quomodo factum sit, ut Donatus in actu IV semel iterumque loquatur de Chremetis rusticitate; etenim secundum meam sententiam Chremes in hac fabulae parte e Colace desumptus est, ubi non erat rusticus, sed urbanus talis, qualem modo descripsi. IV. 5. 10 Donatus verbis: „Eho nonne id sat erat: Adeo simplex hic inducitur „adulescens ut a Pythia reprehendi possit. Nam quid „opus fuit dicere, si innuit?" non spectat ad simplicitatem rusticam, sed ad tarditatem quandam ingenii stultitiamque et cum ibidem adnotat: „3. Nisi quia „correxit miles quod intellexi minus: Hoc videtur „sapientius et facetius dici quam ab ebrio rustico „adulescentulo debuisset e. q. s." Donatus, non immemor Chremetis rustici in III. 3, oblitus est se non Chremetem Eunuchi sed Colacis ante oculos habere;

1) Etiam animadvertendum est Chremetem modo v. 623 nominari aemulum militis. Sed luce clarius est, militem, qui omnino non novit Chremetem, putare eum esse Phaedriam et quae in hac scaena narrentur, non e Menandri Eunucho desumpta esse.

idem iudicandum de IV. 6. 7. Deinde ad IV. 6. 17: „Quantas copias adducere: proprie dixit „copias", „nam sic dicuntur legiones in unum collectae. Con„venit tamen rudi et rustico adulescenti sex homines „copias" dicere e. q. s.", minus recte Donatus rusticitati tribuit, quod timiditati tribuendum est, sicut e Thaidis verbis et totius scaenae colore apparet. Ad eiusdem scaenae v. 31 adn. 3 Donatus Chremetem appellat „nimium liberaliter pavidum adulescentulum." Postremo IV. 7. 33, ubi Donatus adnotat: „1. Diminuam ego „caput tuum hodie nisi abis; Rusticius dixit „caput „tuum diminuam" quam si diceret diminuam tibi „caput", apparet Terentium revera scripsisse: „diminuam tibi caput."

CAPUT VI.

DE ANTIPHONE.

Antipho in duabus scaenis prodit, quae artissime cohaerent. Postquam in priore (III. 4) narravit se a nonnullis adulescentibus, qui de symbolis ederent, cum constituto tempore frustrasset eos Chaerea, qui omnia providere debuerat, missum esse, ut eum quaereret, ipse Chaerea (III. 5) domo Thaidis exit et amico narrat, quomodo Pamphilae amore captus ad Thaidem deductus sit ibique virginem vitiaverit. Ex iis, quae in hac scaena aguntur, manifestum est eam ad Eunuchum referendam esse; hanc ob rem dixeris priorem scaenam etiam ex ea fabula desumptam esse.

In Donati commento ad III. 4. 1 tres adnotationes adscriptas esse videmus, quarum prima et tertia ad hanc rem spectant. Si censemus in prima adnotatione: „Heri aliquot adulescentuli coimus in Piraeo: in hoc „proloquio insinuatio personae eius est, cui narraturus

„est Chaerea, quae a se post scaenam gesta sunt. „Fit autem hoc populi causa, ut spectator oriculis „accipiat, quod subicere oculis poeta non potuit," voce „poeta" significari auctorem fabulae, scholiasta hanc scaenam Menandro tribuit. Sed in tertia adnotatione: „Heri aliq. a. c.: bene inventa persona est, „cui narret Chaerea, ne unus diu loquatur, ut apud „Menandrum," Terentius et Menander aperte inter se opponuntur ita, ut apud Menandrum Chaerea solus narraverit, quae intus facta essent, a Terentio vero Antiphonis persona addita sit, cui Chaerea narraret.

De hac adnotatione multum disputatum est. Grauertus, Braunius, Nencinius, Fabia Antiphonis personam Terentio tribuunt, Benfeius, Ihnius, Teuffelius, Kampius eum Menandro vindicant.

Benfeius, [1]) quocum Kampius p. 12 consentit, in sua translat. german. p. 537 verba „ut apud Menandrum" ad totam sententiam rettulit.

Ihnius p. 22 recte adnotat Benfeium haec verba falsissime ita iungere: „Bene inventa persona ut apud Menandrum, ne unus diu loquatur." Ipse verba „ut apud Menandrum" eicienda censet; scilicet si in Menandri Eunucho Chaerea solus prodierit, permulta Terentio tribuenda essent. [2]) Eiectis igitur his verbis

1) Nencinius p. 93 perperam scripsit: „Ante Grauertum Benfeius e. q. s." Legendum „post".

2) Ihnius p. 20 sq. haec habet: sed tanta pars eius, quae sequitur scaenae Terentio tribuenda esset, quantam numquam dedit de suo. Vides enim omnia ea, quae ad narrandam rem ante actam, ignotam Antiphoni, spectatoribus notissimam pertinent et praeterea versus a 5 ad 8 non potuisse locum habere in Eunucho Menandri, si ibi solus in scaenam Chaerea prodierit."

comparat scholia nonnulla, e quibus tamen unum tantum, ad V. 8. 4: „Quid hic laetus est: inventa persona est, propter quam gesta hic narrat Chaerea, ut et populus et miles instruantur et sciant, quid intus gestum sit," quodammodo cum nostro scholio congruit, ut probet — quod hodie nemo negabit — Donatum saepissime Terentio adscribere, quod exemplari Graeco debeatur.

E Teuffelii quoque sententia (p. 283) non licet e scholio ad V. 8. 4 efficere Parmenonem in ea scaena apud Menandrum non prodiisse; [1]) deinde animadvertit III. 4 Antiphonis vitae rationem, si haec persona a Terentio inventa fuisset, minus Graecam fuisse et praeterea in Graeca quoque fabula requiri aliquem, in cuius domo Chaerea vestes mutet.

Iam recensebo, quae ab iis, qui Antiphonis personam Terentio tribuunt disputata sunt.

Grauertus Donati scholii verba premens sic scripsit p. 172: „Er (Terentius) lässt (III. 4) einen jungen Hern Namens Antipho auftreten, welcher den Chaerea sucht, um ihn zu dem verabredeten Piknik zu führen: diesem erzählt Chaerea (III. 5) den erwünschten Ausgang seines Versuches bei Pamphila, so dass der Zuhörer dies durch einen sehr lebhaften Dialog erfährt. Bei Menander dagegen erzählte Chaerea dieses nur in Monolog."

Braunius p. 26, iterum minus recte tertiam fabulam in contaminatione adhibitam esse ratus, [2]) protulit hanc sententiam, a Fabia p. 50 probatam, hanc

1) Cf. de hac scaena p. 81 sqq.

2) Cf. p. 47.

personam ita a Terentio inventam esse, ut eam, „ex „qualibet alia aut Menandri aut cuiuscunque poetae „fabula talem nobilis iuvenis Atheniensis festum diem „agentis personam mutuatus" de suo addiderit. Postquam animadvertit Ihnium, ex mera opinione certis causis non stabilita negantem Terentium to versus de suo dare potuisse, verba „ut apud Menandrum" falsa habere, contendit Ihnium et Teuffelium perperam iudicavisse de III. 5 et V. 8, cum in his scaenis Chaerea exsultaret et secum colloqueretur. Perlecta III. 4 hanc sententiam probare non possum; [1]) de scaena V. 8 postea videbimus.

Porro Braunius non magni momenti esse censet, Antiphonem Graecorum vivendi ratione uti; „nam „coire in Piraeo simplicissime est dictum, quoniam „res Athenis agitur." [2])

Deinde nulla necessitate scholium Donati ad III. 5. 59: „Sed interim de symbolis quid actum est; bene memor est personae quam induxit poeta per hanc interrogationem," ad Terentium pertinere putat

---

1) Minus recte Braunius p. 28 not. initium huius scaenae sic intellegit: „Equidem puto, id imprimis cupere Chaeream neminem intervenire, secundo deinde loco, ne curiosus homo interveniat; et ad hoc verbum „curiosus" pertinere mihi videntur, quae dicit Antipho: „Atque ab eo e. q. s." (557): neque enim curiosum Antipho sed amicum atque familiarem se esse vult. Quamquam ea quae Antipho orationis suae initio loquitur, etiam putes ironice dicta esse atque cupere Chaeream, neminem intervenire" M. i. Chaerea primum cupit neminem se Thaidis domum relinquentem videre, deinde vero hominem notum quendam curiosum intervenire.

2) „De symbolis edere" etiam est mos Graecum. Cf. And. I. 1. 61.

et verbo inducendi eum sensum esse, ut sit: de suo addere.

Postremo perhibet minus recte excogitatum esse Chaeream in Antiphonis domo vestes mutare, cum facillime domi suae hoc facere potuisset. Hoc quoque minus recte dictum mihi videtur. E scaenae IV. 4 initio (671, 673, Donatus ad h. l.) pro certo efficere licet etiam in Menandri Eunucho Chaeream domi non fuisse, ut vestes mutaret; cum autem sine dubio quam celerrime eunuchi amictum deponere voluerit, tutissima mihi videtur coniectura, eum in Graeca quoque fabula ad amicum ivisse. [1])

Sed Nencinius, postquam perhibuit Antiphonis adventum Terentio tribuendum esse, quia Chaereae in Piraeo mansio etiam a Terentio addita esset, [2]) et animadvertit „pervulgatum inveteratumque esse „Terentium summum poetam habere eundem vero ad „viginti aut triginta versus de suo scribendos ineptum „putare", negat p. 93 „opus fuisse Chaereae vestes „exuere et ad fabulae oeconomiam, i. e. ut Chaerea „de scaena amoveretur, satis erat, si diceret adules- „cens velle se in proximi amici domum exutum con- „cedere". Nihil causae esse censet v. d., cur Donati scholium reiciatur.

Sic igitur res se habet: si prudentius esse putamus fabulae nostrae partem, quae alterutri exemplo tribui possit, huic exemplo revera addicere, quam ipsi Terentio, atque igitur cum Ihnio et Teuffelio, quorum argumenta Braunius aliique non prorsus refellerunt,

---

1) Cf. etiam V. 2. 1 et Donatus ad. h. l.

2) Hac de re disputavi p. 38 sq.

hanc personam Menandro vindicamus, eicienda sunt verba „ut apud Menandrum."

Fortasse etiam nonnihil interest nos saltem III. 4 Antiphonis verbis certiores fieri, cur Chaerea II. 3 in urbem venerit.

Si autem censemus hanc personam a Terentio additam esse, ne unus diu loquatur, non opus est mutare scholium; sed hoc animadvertendum est Antiphonis partes multo maiores esse quam talium personarum, quas Terentius alibi ad distinguendam orationem inseruit. 1)

His perpensis pro certo adfirmare non ausim, quid de Antiphonis persona iudicandum sit, sed magis inclino in priorem sententiam, eam a Terentio e Menandri Eunucho desumptam esse; neque hanc ob rem diiudicem, sitne scholiorum, quae supra descripsi, alterutrum fortasse reiciendum an alio loco adscribendum.

Hoc tantum monere velim, hanc quaestionem, iis, qui de Terentii arte iudicare velint, gravissimam, ad meum propositum non tanti momenti esse; si enim Antiphonis persona Menandri Eunucho abiudicanda est, in ea fabula scaenarum III. 4 et 5 loco habemus longum monologum.

---

1) Hanc ob rem etiam falsus est Braunius, cum scribat p. 29: „Menandri paucas tantum graves personas producentis esse nego eius modi homine uti, qui adsit tantum ut audiat."

CAPUT VII.

DE MENANDRI EUNUCHO.

Iis, quae de personis singulis monenda erant, absolutis, iam videndum est de utriusque fabulae Graecae ordine et nexu, in quo adhibenda sunt fragmenta Graeca. Initium faciam a Menandri Eunucho.

Supra ostendi nullam esse causam, cur sumamus Persium presse secutum esse Menandri fabulae initium, Terentium vero eatenus ab eo discessisse, ut Graecae fabulae exordium in brevius coegerit. Phaedriae igitur exclusi cum Parmenone [1]) deliberatio, utrum ad Thaidem redeat necne, immutata e Graeco exemplari fluxit. Ad I. 1. 1 Donatus commemorat verba Graeca (fr. 186): *ἀλλὰ τί ποιήσω;* [2]) ad eiusdem scaenae v. 31 referendum est fr. 187:

1) De nominibus mutatis cf. p. 7. Quia non omnia nomina Graeca nobis nota sunt, nostrae fabulae nominibus utar.

2) Meinekius adiecit verba: „*μὴ προσέλθω μηδὲ νῦν, αὐτῆς καλούσης;*" deinde Kockius: „*χἰκετευούσης ἐμέ;*"

μὴ θεομάχει, μηδὲ προσάγου τῷ πράγματι
χειμῶνας ἑτέρους, τοὺς δ' ἀναγκαίους φέρε.

Prorsus alia mihi videtur sententia fr. 798:

μόνος ἔστ' ἀπαρηγόρητον („quod adloquio flecti non possit") *ἀνθρώποις ἔρως*,

atque vss I. 1. 12 sq, ad quos Nencinius p. 85 hoc fragmentum pertinere suspicatur.

Oportet Thaidem Phaedriae arcessito (cf. 2, 100) accurate narrare, quam ob rem eum excluserit, eique persuadere, ut aliquot dies non veniat, quia plurimum sua interesset aemulum, militem divitem (cf. 125, 192) sibi dare Pamphilam virginem. Omnia, quae de Pamphila narrat, etiam Eunucho debentur et satis opportune hic leguntur, quia non solum Chaerea, sed etiam Pamphila prima huius fabulae persona habenda est; deinde praeparatur deductio puellae, quam in platea conspectam amaturus est Chaerea.

Tota igitur scaena I. 2 ex Eunucho desumpta est, exceptis vss. 165, 166, quoniam vidimus servam Aethiopicam e Colace a Terentio cum eunucho coniunctam esse. Hanc ob rem semel moneo, quotiescunque Terentius loquatur de eunucho et serva Aethiopica aut utatur numero plurali (e. g. 207: isti, 469: istos) in Graeca fabula tantum sermonem fuisse de eunucho.

Ad hanc scaenam Nencinius non male refert fr. 191: „*συστομώτερος σκάφης*". Postquam v. d. animadvertit Duebnerum (Kockius perperam: Grauertum) in annal. phil. X. p. 30 hoc proverbium rettulisse ad III, 5. 48, ubi Chaerea flabellum accipiens non audeat muttire, sic pergit p. 100: „At nusquam, opinor, „proverbium melius quadrat quam ad I. 2. 23: „quae

„vera audivi taceo et contineo optume" sc. altiore „premam silentio, inquit hyperbolice Parmeno, quam „si in humili σκαφηφόρου conditione sim." [1])

Minus feliciter v. d. hanc sententiam sic defendere conatur: „Quod quam non temere excogitatum sit „ostendunt insequentia verba: „Sin falsum aut vanum „aut finctumst, continuo palamst: Plenus rimarum sum, „hac atque illac perfluo," quae metaphoram de scapha „continuant." Non cum scapha, sed cum vase vel dolio Parmeno se comparat; cf. Donatus ad I. 2. 24 : 7. „Translata autem est quasi ab aquario vase fictili."

In ea quae sequitur scaena, ut ex nostrae fabulae II. 1 apparet, iterum prodeunt Phaedria et Parmeno. Iuvenis rus profecturus servum iubet eunuchum ad Thaidem deducere. Postquam abiit, Parmeno videt servum militis cum Pamphila et ancilla (347) appropinquantem. Vidimus enim in Graeca munus deducendae virginis non parasito, sed fortasse militis servo impositum fuisse. Cum servus ille in scaenam venisset, sine dubio paucis verbis dixit se militis donum ad Thaidem deducere et cum Parmenone eodem fere modo collocutus est, quo Parmeno cum Gnathone colloquitur in fine scaenae II. 2.

Kockius (fr. 194) citat vocem „τρόφιμον" quae legitur in Donati Scholio ad II. 2. 58.

Omnia quae deinde Chaerea II. 3 Parmenoni narrat de virgine in platea conspecta et consilium, quod ineunt, a Terentio e fabula Graeca desumpta sunt, neque quidquam mutatum esse puto, quia haec

1) Kockius: „(καὶ) συστομώτερόν σε ποιήσω σκάφης." Nencinius: „με ποιήσεις."

scaena totius fabulae nodum continet. Hoc tantum Benfeio assentiendum est v. 319 verba: „vi, clam, precario" edicti praetoris esse atque a Terentio addita, ut risum moveret spectatoribus Romanis.

Ad vocem „penum" (II. 3. 19) refertur fr. 193: „σιτοβόλια." Fabia iam animadvertit p. 57 horum verborum non prorsus eandem esse significationem: „σιτοβολία (Fabia aliique: σιτοβολεῖα) c'est le lieu où l'on serre les provisions de bouche, penum, les provisions de bouche elles-mêmes."

Cum Chaereae aliquo temporis spatio ad vestem mutandam opus sit et ea quae sequitur scaena (III. 1) ad Colacem pertineat, posui huius scaenae loco in Eunucho Graeca brevem fuisse scaenam, in qua Thais prodierit, quae virginis receptae gaudio commota narraret se ad militem ituram esse, ut ei gratias ageret.

Quae insequenti scaenae tribuenda sunt, efficere possumus e scaena III. 2, quam a Terentio ex utriusque fabulae scaena conflatam esse vidimus. Thais ad militem profectura retinetur a Parmenone, qui ei Chaeream eunuchi veste indutum offert et e Phaedriae praeceptis donum laudibus ornat et in militem invehitur. Sine dubio Thais pluribus verbis, quam in fabula Latina fit, falsi eunuchi laudem praedicavit et servum iussit domino gratias agere. Deinde Parmenoni narravit se exituram esse et eunucho introducto mandatisque datis profecta est.

Thaide sic remota Pythias quoque domo evocatur adventu Chremetis. Nam postquam Chremes narravit ea, quae III. 3 leguntur, Pythias prodiit et e Thaidis praeceptis adulescentem rogavit, ut rediret aut maneret, et postremo Doriam iussit eum ad Thaidem, quae

apud militem esset, deducere. Per huius colloquii tempus Chaerea opportunitate usus virginem vitiavit. Quae res etiam argumento est III. 3, ut supra dixi, pertinere ad Eunuchum.

Post Chremetis abitum Chaerea Thaidis domo se subducit et postquam sibi persuasit se a nemine deprehensum esse, gaudio exsultans narrat ea, quae intus perpetraverit et ad amicum abit, ut vestem mutet. (III. 5). Incertum relinquendum esse censui, utrum haec Antiphoni amico, qui modo eum quaesiturus in scaenam venisset (III. 4), an per monologum narraverit. [1])

Dum Phaedria IV. 2 narrat, quibus cogitationibus adductus ante tempus constitutum (181 sqq.) rure redierit, videt Pythiam valde commotam Thaidis domo se proripientem; quae postquam IV. 3 Phaedriam et Doriam docuit de eunuchi incredibili facinore et fuga, visere constituunt redieritne domum Phaedriae. In ea quae sequitur scaena lepidissima IV. 4 Phaedria Dorum, verum eunuchum protrahit, cum Pythias et Dorias quaerant falsum; Dorus a Phaedria interrogatus Chaereae facinus expromit, quod Pythias Doria auctore Thaidem celare constituit.

Dubitari non potest, quin haec omnia in Menandri Eunucho eodem modo facta sint atque igitur ex ea

---

1) E Donati verbis ad And. V. 5. 3: „3. Ego deorum v. p. s. e. a.: hanc sententiam totam Menandri de Eunucho transtulit ..... et est δόγμα Ἐπικούρειον e. q. s." Nencinius p. 43 sq. effecit in initio scaenae III. 5 sententiam Epicuream a Terentio omissam esse. Quid hac de re iudicandum sit, recte exposuit Sipkema p. 95, cum animadvertat optime fieri posse, ut hic locus e Perinthia, quam scholiasta non inspexerit, desumptus sit, et locum in Eun. III. 5. 5. minime convenire.

fabula fluxerint exceptis vss. 724—726, qui cum ad Chremetem solum advenientem et litem inter Thaidem militemque spectent Terentio adscribendi sunt.

Cum tamen supra posuerim Doriam etiam in Menandri Eunucho Chremetem ad militis domum deduxisse, necessarium est eam ante IV. 3, ubi Phaedriae Pythiaeque colloquio interest, rediisse. Cum autem IV. 1, quae ad cenam militis et litem inter eum et Thaidem spectet, e Colace desumpta sit, suspicor in Eunucho huius scaenae loco etiam fuisse brevem scaenam, in qua Dorias redierit et paucis verbis spectatoribus narraverit se, Chremete ad militem deducto, a Thaide, quae mox cum eo ventura sit, praemissam esse. His narratis fortasse in scaena remansit, dum Phaedria IV. 2 loquitur, ut IV. 3 colloquio interesse possit. Nam si Dorias in nostra fabula IV. 3 cum Pythia prodiit, necessario IV. 1 domum intrare debuit, quo facto sine dubio res pretiosas a Thaide ei commissas (627) deposuit. Maxima igitur habenda est Terentii negligentia, qui IV. 4. 56—58 addens Pythiae tribuit verba: „Tu aufer aurum hoc", aut ponendum est Doriam in scaena remansisse. [1]) Iam cum verisimile sit Doriam in Colace, postquam a milite redierit, statim domum intrasse, ut Thaidis res pretiosas auferret, [2]) fieri potest, ut ipse Terentius hanc mutationem admiserit, qua IV. 4. 58 Dorias probabili causa de scaena amoveretur, sed veri similius mihi videtur eum hac in re secutum esse Eunuchum atque igitur in ea fabula, ut supra posui, rem ita actam

1) V. 647 Phaedria unam Pythiam nominat.

2) Cf. p. 92.

fuisse, ut Dorias, quae paulo ante Chremetem deduxerit ad militem, IV. 1 redierit et, cum nulla causa domus intrandae esset, in scaena remanserit, dum Phaedria IV. 2 loquatur, et deinde cum eo et Pythia, eunuchi facinore audito (IV. 3), Phaedriae domum iverit, ubi e vero eunucho cognoscunt Chaereae Parmenonisque dolosum consilium (IV. 4).

Ad IV. 4. 22 Donatus scripsit in priore scholio: „Colore mustellino: erravit Terentius non intelligens „Menandricum illud „αὐτός ἐστιν 1) γαλεώτης γέρων." ait „autem stellionem, quod animal lacertae non dissimile „est maculoso corio; namque ad id genus facies ex„primitur eunuchorum corporis, quia plerique lentigi„nosi sunt. hic ergo erravit ideo, quia γαλῆ mustella „dicitur, γαλεώτης stellio, ὥσπερ Ἀριστοφάνης ἐν ταῖς Νεφέλαις „(174) „ἥσθην γαλεώτῃ καταχέσαντι Σωκράτους." Si verba „γαλεώτης γέρων" recte sese habent (Nencinius p. 98 suspicatur Terentium fortasse legisse γαλεώδης idque non a γαλεός, sed a γαλέη, γαλῆ derivandum esse), manifestum est Terentium non verbum verbo reddidisse. Sed quo iure Donatus statuit, Terentium non intellegentem Menandri verba erravisse nec consulto 2)

1) Wessner codicem V (Vatic. Reg. lat. 1496) secutus scripsit: αὐτός ἐστιν, Kockius aliique: οὗτός ἐστι. Edit Mediol: estin galeo tescerona. Suidas: οὑτοσί δὲ γ. γ.

2) Cf. Donatus ibid adn. 2: „At ego † edesionum sequor, qui recte intellexit Terentium scientem mustellino colore dixisse eunuchum velut sublivido, quia vere eunuchi aut ex candidissimis lentiginosi fiunt, ut ex Gallis et eiusmodi occidentalibus, aut ex fuscis sublividi, ut ex Armeniis et aliis orientalibus." Cf. P. Wessner. Aemilius Asper p. 29 „Dieser nicht zu ermittlende Autor kann aber recht wohl ein Grammatiker, Glossograph oder sonstiger Schriftsteller gewesen sein u. s. w."

ita scripsisse? [1])

Post ea, quae supra descripsi, Dorias, quam Thaidis Chremetisque adventus de scaena demovere debuit, meretricis domum intravit. Nam ex iis, quae in nostra fabula sequuntur, scaenis apertum est, hic in Graeca Thaidem cum Chremete rediisse. Meretrix adulescenti narravit se ei sororem restituere posse (747—750) et procul dubio eum certiorem fecit de sororis casibus; porro Pythiam, quae igitur in scaena remanserit, signa proferre iussit (753—754), quae fortasse adulescenti monstravit; ad eandem scaenam referendi videntur vss. 807, 808, ubi Chaerea dicit se Sophronam nutricem adducturum esse, ut signa recognoscat.

Cum deinde in ea quae sequitur scaena Thais Pamphila visa cum Pythia prodeat, verisimile est eam, postquam Chremes dixerit se nutricem adducturum esse, mox domum intrasse, Chremetem vero paulisper in scaena remansisse et paucis verbis locutum esse de sorore recepta.

Si vox *ῥίσκος*, a Polluce X. 137 laudata, recte a Meinekio (Add. et corr. p. 102) refertur ad v. 754, argumento est vss. 753—754 e Menandri Eunucho fluxisse.

---

1) Donatus ad IV. 2. 27 haec habet: „Agedum hoc mihi: haec Plautina sunt, cum in iisdem longa sit disputatio; sed mire a Terentio proferuntur ad eius exemplum et, quod est plus, carent Plautinis nugis." Non solum Kampio (p. 13 sq.) prorsus non assentiendum est hic cogitari posse de Colacis Plautinae scaena, sed ne Braunio quidem, perhibenti p. 36 hic sermonem esse de alius fabulae Plautinae simili scaena. Recte Nencinius mihi videtur adumbrasse p. 101 scholiastam non alicuius fabulae Plautinae scaenam ob oculos habuisse, sed hoc dicere voluisse, hanc scaenae partem magis Plautino more esse institutam.

Ex iis, quae V. 1—6 aguntur, manifestum est eas scaenas pertinere ad Eunuchum. Post Chremetis profectionem Thais valde commota cum Pythia prodit (V. 1). Rogat, quare Pamphila lacrimet neque interrogata respondeat. Cum Pythias, virginis iniuriam disertis verbis indicare non ausa, narret eam Chaereae pro eunucho commissam esse, ipse Chaerea eunuchi veste nondum exuta (907) [1]) advenit (V. 2). Qui cum a Thaide audiverit Pamphilam esse civem, pollicetur se eam uxorem ducturum esse et Chremete appropinquante cum meretrice domum intrat. Deinde (V. 3) Pythias Chremetis cum nutrice adventum exspectans secum reputat, quomodo Parmenonem, turbarum auctorem, punire possit. Chremete introducto ipsa quoque Parmenonem prodeuntem videns domum intrat.

Quae Braunius p. 38 de his scaenis profert, minus recte se habent. Thais dicit V. 2. 66: „Adest optume ipse frater [2]) (scil Pamphilae, Chremes)." In Donati scholio ad V. 2 69 i. f. Braunius legisse videtur: „.... (Thais) neque ipsa ingreditur cum „Chaerea neque ingredi simul permittit Phaedriam," unde efficias etiam v. 66 scholiastam Phaedriam, Chaereae fratrem, significare voluisse. Cum tamen fieri non possit, ut Phaedria hoc loco prodierit, Braunius censet non dubitandum esse, „quin Thais hoc loco,

1) Cf. Donatus ad V. 2. 1: „Apud Antiphonem u. m. et p: rediens in viciniam suam causas reddit Chaerea, cur non mutaverit vestem. Oportuit autem et iam e re argumenti fuit non mutasse, ut eum videret meretrix cum turpi habitu incedentem ut reum vitiatae virginis."

2) Donatus ad h. v: „Adest optime ipse frater: „optime" opportune et non additum cuius frater, utpote in re manifesta."

„fratrem cum dicat, significet Chremetem advenientem, „Chaerea oculis ad advenientem non conversis intel- „legat Phaedriam. Hoc cum scholiasta quidam minus „perspexerit, etiam Thaidem Phaedriam significare „ratus adnotavit: „neque ipsa e. q. s." Quae cum ita „sint, haec verba nihili aestimanda delendaque puto." Haec non vera sunt, quia in illo scholio Phaedria prorsus non nominatur, sed legitur: „Pythiam."

Neque Braunio assentior Terentium hunc locum mutasse. Postquam v. d. animadvertit nullam esse causam, cur Thais domum intret nec nutricem in scaena exspectet, neque ulla ratione probabili Chaeream adduci posse, ut Phaedriam fratrem advenire existimet (vide supra), haec adlegat: „Iamque vide, „quam non cohaereant quae scaenae tertiae insunt „verba „move te oro e. q. s. usque ad „exspectat domi" „(v. 2—8) neque cum iis quae antecedunt neque quae „sequuntur Pythiae verbis. Id denique moneo, quam „ridicule Chremes Sophronam per scaenam agat quam- „que inepte dictum sit illud nutricis „moveo" . . . . . . „Ita igitur res acta est, ut post Pythiae verba quae „sunt „apage te" (V. 2. 65), cum Chaerea Thaisque „in scaena essent, Chremes adveniret cum nutrice „satisque longa oratione in ipsa scena de signis et „agnitione puellae nutrix ageret, omnibus deinde illus- „tratis cum Chaerea et Thaide domum intraret ut „etiam Pamphila civem se esse certior fieret, relinque- „retur sola Pythias." Neque video quo iure v. d. poscat, ut Chremetis advenientis verba cum Pythiae exspectantis verba cohaereant neque in hoc poeta noster mihi videtur accusandus, quod ridicula scripserit. Porro Braunius etiam 894 sqq. Terentio tribuere debuit, quia

parum verisimile est, meretricem adulescentem rogare, ut secum domum intret, et hac de re cum ancilla colloqui, si agnitio coram iis in scaena fieret.

Postquam Pythias Thaidis domum intravit, Parmeno prodit (V. 4) Chaeream convenire cupiens. Sed mox Pythias redit et servo persuadet Chaeream a Chremete turpiter punitum iri ob sororis iniuriam Metuens Chaereae hic igitur totam rem patri [1]) eius exponit, qui forte rure in urbem venerat (V. 5). Qui cum Thaidis domum irrupisset, Pythias denuo prodit (V. 6) et Parmenonem deridet, quasi Chaeream et se ipsum perdiderit.

Etiam in his Terentius nonnullis v. d. a Menandro discessisse videtur. Ad V. 5. 31 Donatus dicit: „1. Quam ob rem insigne aliquid faceret: Ma„nifestius hoc Menander explicat iampridem infestum „meretrici senem propter corruptum ab ea Phaedriam, „nunc demum se inventa occasione vindicaturum". Ex his verbis Grauertus et Braunius [2]) effecerunt ipsum senem in scaena de meretrice ulciscenda locutum fuisse apud Menandrum. Grauertus haec habet p. 159; „Aus den letzten Worten, se – vindicaturum (welches eum — vindicaturum heissen musste, wenn Parmeno sie sprach), geht hervor, das Menander den

1) De huius senis nomine vide Donatum ad V. 5. 1: „Ex meo propinquo rure hoc c. c: adnotandum, quod huius senis nomen apud Terentium non est: apud Menandrum Simon dicitur." Cod. Bemb. habet „Demea", ceteri „Laches." Qui igitur alterutrum nomen huic scaenae suprascripsit, id fecit suo arbitratu (Hartmannus p. 74).

2) Cf. Braunius p. 39: „Apud Menandrum igitur ipse senex in scena magis saevit; quam longiorem eius orationem ita vitavit Terentius ut servum de consilio senis referentem faceret."

Alten selbst in seinem Zorn diese lange genährte Feindschaft und den Vorsatz, seinen Wunsch nach Rache jetzt zu befriedigen, aussprechen liess, wogegen Terentius dasselbe dem Diener in den Mund legte."

Bene IHNIUS ostendit Grauerti sententiam falsam esse (p. 18 not.); „se" enim esse accusativum obiecti „infestum senem" subiecti, nec sine „se" Donatum dicere potuisse „eum — vindicaturum".

Non minus apte KAMPIUS 1) animadvertit vix credibile esse patrem filio metuentem et ultioni intentum plura loqui. Huius igitur v. d. sententiam probo, descriptam p. 14: „Unserer Ueberzeugung nach geschah daher auch bei Menander die Mitteilung, dass der Alte dem Weibe längst etwas anhaben wollte, nicht durch den Alten selbst, sondern wie bei Terenz durch den Sclaven Parmeno, nur dass der Nachahmer eine Verkürzung der Rede des Sclaven vornahm d. h. die Begründung der Feindschaft zwischen Simo und Thais ausliess, ein Umstand, der bei der Contamination zweier Stücke nicht grade befremden kann."

Iam eousque deducta est haec disputatio, ut de ultima tantum Graecae fabulae scaena disserere supersit. Quae qualis fuerit, efficias e V. 8. Manifestum est

---

1) Kampius p. 14 haec dicit: „Aber diese Kürze ist hier, wo der Vater durch längeres Zögern die Gefahr für den Sohn vermehren würde, auch völlig angebracht. Wir glauben aber nicht, dass Terenz sein Muster an Naturwahrheit übertroffen habe. Dass im Εὐνοῦχος des Menander die Lage der Dinge dieselbe war, ist schon vorher gezeigt worden. Es wäre also höchst unpassend gewesen und müsste bei einem Menander gradezu unglaublich erscheinen, wenn er den Alten vor dem Haus der Thais erst lang und breit auseinandersetzen liess, dass er schon längst dem Weibe feindlich gesinnt sei und weshalb."

Terentium in hac scaena componenda utramque Menandri fabulam adhibuisse idque fecisse, ut pluribus personis adhibitis variorem redderet hanc fabulae partem. Praeterea autem sunt, qui putent eum non omnia, quae praeter Thrasonis Gnathonisque verba in hac scaena leguntur, e Menandri Eunucho desumpsisse, sed nonnulla de suo addidisse. Ad V. 8. 4 Donatus adnotat: „Quid hic laetus est; Inventa persona est, „propter quam gesta hic narrat Chaerea, ut et populus „et miles instruantur et sciant, quid intus gestum sit." Scholiasta non disertis verbis dicit, quis hanc personam invenerit, quo factum est, ut hac de re v. d. dissentiant. Grauertus, Braunius, Nencinius Terentium suo Marte hoc loco Parmenonem produxisse putant, Ihnius, Teuffelius, Fabia contendunt iam Menandrum eam personam hic adhibuisse.

Ihnius p. 22 et Fabia p. 42 [1]) hoc scholium non ad Terentium, sed ad Menandrum referendum esse censent.

Secundum Teuffelium p. 283 e scholiastae verbis non effici potest Parmenonem apud Menandrum non prodiisse, quia vix credibile sit Chaeream, quae non ad se solum pertinerent, per monologum narravisse.

Iusto longius Grauertus progressus est, cum scriberet p. 172: „Bei Menander mochte Chaerea

---

1) Ihnius p. 22 haec habet: „Porro ad Eun. V. 8. 4 Donatus „Inventa, inquit, persona e. q. s." quibus verbis Grauertus inductus est, ut suspicaretur, apud Menandrum fortasse solum Chaeream esse locutum, quod non opus refutare. Ita Terentio adscripsit, quod graeco poetae erat vindicandum, Donatus e. q. s."

Fabia p. 42: „Dans l'Eunuque de Ménandre Chaeréa ..... venait annoncer toutes ces bonnes nouvelles à son esclave e. q.s."

sein Glück im Monolog verkünden, und sein Bruder Phaedria dann hinzukommen und von jenem die Nachricht seines günstigen Schicksals erhalten: denn bei den alten Komikern schliesst das Drama oft mit dem Dialog sehr weniger Personen, und es ist da nicht, wie durchgehends bei den Neueren, die Versammlung der meisten Personen zum Schlusse nothwendig." Non credo duarum tantum personarum colloquio fabulam finitam esse.

Braunius postquam contendit p. 27 Menandrum Chaeream in hac scaena exsultantem et secum colloquentem produxisse, Terentium vero Parmenonis verba interiecisse, mira profert de scholio nostro: „Atque „haec Parmenonis verba Terentium invenisse dicit „Donatus, non omnem personam. Minus apte quidem „scripsisse eum adnotantem „Inventa persona est" con- „cedendum". Deinde Teuffelium impugnans perhibet Chaeream, quae dicenda haberet, Gnathoni et Thrasoni „quos iam antea populares appellatos eum vidisse „necesse est," narrare potuisse. Sed Thrasonem et Gnathonem a Menandri Eunucho afuisse, ipsius quoque Braunii sententia est [1]) neque in nostra fabula verba illa „o mei populares" ad eos pertinere puto, sed Chaereae gaudio commoti exclamationem esse. Denique Braunius haec habet: „Ut hoc addam, quae causa sit „Parmenonis in hac scena additi, produxisse servum „puto eum (Terentium) idcirco ut eodem quo in „Andria fit modo laudaretur solatiumque ei afferretur „timoris a Pythia iniecti." Recte v. d. mihi videtur statuisse servum laudandum consolandumque esse,

---

1) Cf. p. 22.

quam ob rem nego hoc Terentii esse et apud Menandrum Parmenonem post V. 6 pavidum domum intrasse nec metu liberatum esse. An putas Terentium hac in re exemplum suum superasse?

Nec quidquam momenti affert Nencinius, ut probet Terentium Parmenonem de suo addidisse. Nam quae disputat p. 99 contra Teuffelium: „At enim nihil „causae est, cur Chaerea et de fratris sui rebus et de „meretrice locutus apud Men. existimetur; nam quod „Parmeno statim Phaedriam conventurus festinat V. „8. 12, cui gesta omnia narret V. 8. 19, hoc Teren„tianum putandum est", nullo fundamento nituntur.

Ut igitur iam summam faciam eorum, quae disputavi, negari non posse mihi videtur Parmenonem apud Menandrum in hac quoque scaena prodiisse.

Eodem igitur modo in Graeca rem actam putes atque in Latina, vss. 1031—1052. [1]) Chaerea prodiit et Parmenonem laudatum certiorem fecit Pamphilam sibi sponsam esse et Thaidem totam fore fratris. Quo audito Parmeno spectatores monuit militem a Phaedria victum exclusum iri. Quod quoniam Phaedriam scire oportuit, idem domum visere constituit et fortasse cum adulescente domi offenso in scaenam rediit, ubi

1) Si haec in fabula Graeca ad unam scaenam pertinuerunt, fortasse ita explicari potest, quare in aliis codicibus Phaedriae nomen inscriptioni scaenae V. 8 addatur, in aliis v. 1049 nova scaena incipiat (Dziatzko, Ter. Com. Adn. crit. p. XXIX), ut sumamus, Terentium exemplar Graecum secutum omnia una scaena continere voluisse, postea vero quendam nomina superscripturum propter Phaedriae adventum v. 1049 novam scaenam incipere ratum esse. Facilius fieri potuisse mihi videtur, ut ex una scaena duae factae sint, quam e duabus una.

duo fratres et servus paulo diutius quam in nostra fabula de felici rerum eventu collocuti sint.

Postremo monendum est me in fabula sic constituta duo fragmenta certo loco attribuere non posse, nempe fr. 189:

πάντα τὰ ζητούμενα
δεῖσθαι μερίμνης φασὶν οἱ σοφώτεροι.

et fr. 192: *λύκου πτερά.*

CAPUT VIII.

DE MENANDRI COLACE.

Omnes fere v. d., qui de Eunuchi Terentianae compositione scripserunt, omni cura incubuerunt ad Eunuchum Graecam restituendam, Colacem restituere nemo conatus est. GRAUERTUS tantum et NENCINIUS fragmenta quaedam laudantes nonnulla disputaverunt de hac fabula. Attamen mihi videtur fieri posse, ut huius quoque fabulae ordinem et nexum maximam partem consequamur, etiamsi non tot scaenae ad eam referendae sint, quot ad Eunuchum neque multa fragmenta supersint. 1)

E personis, quas in Eunuchum suam e Colace transtulit Terentius nominavit tantum militem et parasitum (prol. 30 sqq.), sed vidimus hos versus impedimento non esse, quominus censeamus alias quoque personas ex ea fabula fluxisse.

---

1) Ad Colacem mihi videntur pertinere II. 2, III, 1. 2, IV. 1. 5. 6. 7, V. 7. 8.

Hic iam nomino servam Aethiopicam (165 sq.); [1]) nam si recte hanc personam Colaci vindicavi, manifestum est in ea quoque fabula adulescentem meretrici servam donantem militi oppositum fuisse.

Etiam miles ille (Thraso) [2]) meretrici puellam dono dedit. Parasitus Gnatho prodit II. 2, ut Thaidem meretricem ad cenam invitet et Pamphilam virginem ad eam deducat. Vidimus eam deductionem Eunucho tribuendam esse; et quamquam Nencinius p. 102 recte animadvertit causam parasiti prodeundi in Colace non necessario puellae deductionem fuisse, cum meretricis invitatio ad cenam sufficeret, tamen est cur ab eo dissentiam. Supra dixi Terentium in III. 1 et 2 componendis utramque fabulam adhibuisse. Quodsi perlegimus priores harum scaenarum versus, sine dubio ad Colacem pertinentes, ubi Gnatho militi dicit meretricem valde gaudere dono et miles meretricis gratias venatur „de fidicina istac'' (457), manifestum est militem nuperrime Thaidi puellam dono dedisse. Hanc ob rem veri simile mihi videtur parasitum in Colace paulo ante aliquam Pamphilam ad Thaidem deduxisse atque igitur deductionem ab hac quoque fabula non alienam fuisse.

Quod cum ita se habeat, suspicor non magnum discrimen exstitisse inter exordium Eunuchi et Colacis. Unum animadvertere velim, in Colace non necessarium fuisse Phaedriam Thaidis vicinum haberi aut domo rus removeri, qua re in Eunucho opus fuit, ne nosceret fratrem eunuchi loco ad Thaidem deductum

---

1) Cf. p. 29 sq.

2) De nominibus mutatis cf. p. 7.

esse. Ita igitur rem actam fuisse puto, ut in prima scaena Phaedria et Parmeno prodierint. Adulescens, quem, ita ut in Eunucho, exclusum fuisse non necessarium est, cum servo colloquitur et narrat se Thaidem meretricem visurum esse. Ipsa Thais prodit et quia Thraso miles sibi virginem daturus sit, a Phaedria resistente et amorem testante et se quoque puellam missurum esse promittente impetrat, ut aliquamdiu secedat. Postquam deinde Phaedria Parmenonem iussit servam domo arcessere et ad Thaidem deducere, abierunt.

Hic moneo in Colace Phaedriam post hanc scaenam non amplius prodiisse ante finem fabulae et Parmenonis quoque partes multo minores fuisse quam in Eunucho.

His scaenis peractis sequi potuit I. 2, sed veri similius mihi videtur scaenam antecessisse, in qua Thraso cum Gnathone prodierit, ut amores suos iactans se Thaidis quoque amorem sibi conciliasse gloriaretur et parasitum iuberet Pamphilam ad Thaidem deducere.

Ad huiusmodi scaenam optime referri possunt parasiti assentantis verba (fr. 295):

Χρυσίδα, Κορώνην, Ἀντικύραν, Ἰσχάδα,
καὶ Νannάριον ἔσχηκας ὡραίαν σφόδρα.

Hic etiam commemoro fr. 293 ad hanc aut huiusmodi scaenam pertinens:

ΒΙΑΣ. *κοτύλας χωροῦν δέκα*
ἐν Καππαδοκίᾳ κόνδυ χρυσοῦν, Στρουθία,
τρὶς ἐξέπιον μεστόν γ᾽. ΣΤ. *Ἀλεξάνδρου πλέον*
τοῦ βασιλέως πέπωκας. Β. *οὐκ ἔλαττον, οὔ,*
μὰ τὴν Ἀθηνᾶν. ΣΤ. *μέγα γε.*

Deinde Gnatho cum puella prodiit et postquam facete depinxit perditos parasiti mores, narravit se idcirco venisse, ut Thaidem ad cenam invitaret Pamphilamque ad eam deduceret (II. 2. 1—35).

MEINEKIUS fr. 296:

ἀλλ' οὐδὲ γεννήτην δύναμ' εὑρεῖν οὐδένα
ὄντων τοσούτων, ἀλλ' ἀπείλημμαι μόνος.

comparavit cum breviore Terentii sententia v. 238: „omnes me noti atque amici deserunt."

GRAUERTUS p. 165 ad parasiti orationem etiam refert fr. 294:

οὐδεὶς ἐπλούτησεν ταχέως δίκαιος ὤν·
ὁ μὲν γὰρ αὐτῷ συλλέγει καὶ φείδεται,
ὁ δὲ τὸν πάλαι τηροῦντ' ἐνεδρεύσας πάντ' ἔχει.

Quamquam pro certo adfirmare non ausim, tamen fieri potest, ut hoc fragmentum huc pertineat, quia Terentius fortasse, cum in hac scaena Parmenonem ex Eunucho adderet, Gnathonis orationem, qui in Colace hic solus cum virgine prodiret, coartavit.

Porro hoc quoque discrimen inter utramque fabulam exstitisse puto, ut in Graeca Gnatho non cum puella Thaidis domum intraverit, sed ipsa Thais prodierit, ut virginem acciperet et post parasiti abitum aliquamdiu in scaena manserit, dum III. 1. Thraso et Gnatho prodierunt. Nam supra ostendi hanc scaenam lepidissimam, in qua Gnatho impudenter militi facta et dicta sua inepta iactanti assentatur et suadet, ut meretricis invidiam stimulet, paucis Parmenonis verbis exceptis, totam Colaci deberi.

Qualis insequens scaena fuerit, efficere licet e III. 2. Vidimus Terentium in hac scaena componenda utram-

que Menandri fabulam adhibuisse. Ad Eunuchum rettuli Parmenonis eunuchum offerentis et in militem invehentis verba (461—485) et Thaidis proficiscentis mandata (500—506). Cetera maximam partem Colaci tribui possunt, in qua fabula ita res acta fuisse videtur, ut Thais prodierit et militi gratias egerit et cum eo et parasito ad cenam itura a Parmenone cum Phaedriae dono adveniente retenta sit, ut ei servam Aethiopicam (471) offerret. Quam cum accepisset et introduxisset, cum milite et parasito abiit ad cenam.

Terentium in tali scaena componenda non presse secutum esse exemplaria Graeca, sed nonnulla mutasse aut omisisse, non est quod diserte moneam. E vss. 464, 466 sq., 494 sqq., sine dubio ad Colacis normam confictis, apertum est Parmenonem pluribus verbis cum milite altercatum esse et supra (p. 47) propter vss. 497 sqq. animadverti militem fortasse in hac quoque scaena suo more magnificentius locutum esse.

Ad vss. 497 sq. referendum est fr. 297:

γελῶ τὸ πρὸς τὸν Κύπριον ἐννοούμενος.

unde discimus, ut iam Grauertus p. 166 et Nencinius p. 103 animadverterunt, adulescentem a milite (423) compellatum non Rhodium, sed Cyprium fuisse. In eundem Nencinius p. 104 fr. 300: Βοῦς Κύπριος fortasse dictum suspicatur, quod mihi videtur etiam in Parmenonem, qui v. 496 a milite „domini simiu's" appellatur, dictum esse posse.

Dorias redit IV. 1. a militis cena et narrat Chremetis praesentia iurgium ortum esse inter Thaidem et Thrasonem. Vidimus hanc cenam et iurgium, quo praeparetur oppugnatio, et hanc Chremetis personam,

quae postea Thaidem contra militem defensura sit, e Colace fluxisse. Chremetem igitur ante IV. 1 prodiisse opus erat, ut spectatores scirent, quis esset et quomodo ad militis cenam venisset. Hanc ob rem suspicor in Colace Chremetem, ut in nostra fabula, post III. 2 prodiisse, sed eam scaenam aliter constitutam fuisse ac III. 3. In Colace enim Chremes non fuit adulescens rusticus, bonis moribus praeditus, cui soror restituenda erat, sed adulescens urbanus, [1]) sive amator Thaidis sive amicus Phaedriae, missus ut spectaret, quid meretrix ageret; a Menandro et Terentio hac de causa productus est, ut eius ebrietas et pavor spectatoribus delectationi essent. Thaide domi non inventa ad militem iit; non opus est eum ab ancilla eo deductum esse, quia Dorias iam II. 2 cum Thaide profecta esse potuit. [2])

Etiam e fr. 292:

σπονδή· δίδου σὺ σπλάγχν' ἀκολουθῶν· ποῖ βλέπεις;
σπονδή· φέρ' ὦ παῖ Σωσία· σπονδή· καλῶς.
ἔγχει. θεοῖς Ὀλυμπίοις εὐχώμεθα
Ὀλυμπίαισι πᾶσι πάσαις (λάμβανε
τὴν γλῶτταν ἐν τούτῳ) διδόναι σωτηρίαν,
ὑγίειαν, ἀγαθὰ πολλά, τῶν ὄντων τε νῦν
ἀγαθῶν ὄνησιν πᾶσι· ταῦτ' εὐχώμεθα.

quamquam certo loco attribuere non possum, efficere licet in Colace fuisse cenam, [3]) sed non necessarium mihi videtur cum Grauerto (p. 163) putare hanc cenam in scaena actam fuisse.

---

1) Cf. p. 55.

2) Cf. v. 506: „Thr. Eamus. Th. Vos me sequimini."

3) Cf. Fabia p. 41, Nencinius p. 102.

Ad cenam Grauertus quoque pertinere censet fr. 299:

κωβιός, ἠλακατῆνες,
κυνὸς οὐραῖον

quae Graeci inter cibos delicatiores habebant. Cf. Athen. IX. p. 403 b.

Post hanc scaenam non statim IV. 1 agi potuit, cum aliquod tempus praeterire opus esset, ut Dorias Chremetem apud militem videre et redire posset. Per hoc temporis spatium nemo nisi Pythias mihi videtur in scaena versari potuisse, quae post Chremetis profectionem ibi manserit et de Chremetis militisque congressu locuta sit, ne sumendum sit pausam actionis intercessisse.

Deinde Dorias rediit (IV. 1) et narravit iurgium ortum esse inter Thrasonem et Thaidem, quae sine dubio mox domum ventura sit. [1]) Manifestum est eam haec narrasse coram Pythia, quae in scaena manserit, aut Pythiam in hac scaena prodiisse, ad quam igitur vss. 724—726 referri possint. Nam nihil obstare videtur, quominus censeamus in Colace post IV. 1 statim IV. 5 actam esse, quae scaena sine dubio immutata e Colace desumpta est. Pythiam igitur in scaena versari opus erat, ut Chremetem, qui semigravis a milite rediret, acciperet.

Vidimus (p. 55) insequentem scaenam (IV. 6) a Terentio ex utraque fabula conficta esse. Ad Colacem rettuli vss. 739—742, 755—765, 768—770, e quibus efficere licet hanc scaenam in Colace ita institutam

---

1) Vss 620—621 de Chremetis sorore Terentio tribuendi sunt. Cf. p. 55.

fuisse, ut Thais, in militem invecta, Chremetem rogaverit, ut sibi adesset, eumque, cum hoc pollicitus esset, sed militis adventu perterritus se subducere cuperet, adhortationibus suis retinuerit.

Hac scaena peracta etiam in Colace talis fuit, qualis est IV. 7, in qua miles valde ridicule advenit cum exercitu quatuor servorum. Copiis instructis tutoque loco sibi electo non statim Thaidis domum aggressus est, sed cum ea egit de Pamphila reddenda. Attamen a meretrice et dein quoque a Chremete male acceptus Gnathone auctore discessit. Veri simile mihi videtur Terentium in hac scaena non multa mutasse. Videmus vss. 805—808 ei tribuendos esse; iam BOETTIGER Spec. edit. Ter. p. 264 animadvertit in Menandri fabula Pyrrhi mentionem fieri non potuisse ibique fortasse Alexandrum memoratum fuisse. 1)

Ex iis, quae sequuntur scaenis tantum V 7 et 8 ad Colacem referendae sunt, sed non statim post IV. 7 agi potuerunt. Phaedriam enim omnia quae facta essent, scire oportuit. Hanc ob rem suspicor post IV. 7 Phaedriam cum Parmenone, vel sua sponte vel a Chremete, qui milite pulso abiisset, arcessitum prodiisse, ut Thaidem conveniret. Quae postquam omnia narravit eumque solum a se in posterum amatum iri promisit, domum intraverunt.

Deinde, pariter atque in nostra fabula V. 7. 1—5, Thraso cum Gnathone prodire potuit, ut meretrici se dederet, qua de re in Graeca fortasse pluribus verbis cum parasito deliberavit, dum Phaedriam et Parmenonem Thaidis domo exire videns exclamavit

1) Cf. Braunius p. 37, Nencinius p. 104 not.

(1029): „Perii, quid hoc autemst mali?" Postquam Phaedria et Parmeno prodierunt, fortasse paucis verbis coram milite et parasito de felici rerum statu collocuti sunt, quibus auditis miles incepit (1053): „Perii, quanto minus e. q. s.", Gnathonemque oravit, ut perficeret, ut Thaidis domus sibi quoque pateret. Qui postquam monuit, quantopere miles locuples prodesse posset, a Phaedria impetravit, ut reciperetur. Hoc colloquium quatuor personarum, paucis Chaereae verbis Parmenoni datis, sine dubio non mutata e Colace fluxit; nam non solum Nencinius p. 105 recte animadvertit militis ingenio quam maxime consentire eo contentum esse, ut „meretricis amoris (particeps dicatur), „pecuniam meretrici suppeditet v. 45 sqq., illius vero „amore nequaquam fruatur", sed etiam observandum est hanc scaenam ad parasiti nequitiam monstrandam aptissimam esse.

Fabula sic constituta non commemoravi fr. 298:

πρόσεισιν οἷον ἀφορητὶ θρέμματος
(ἁπτόμενος)

quae verba Plutarchi (Mor. 57 a) incerta coniectura ad hanc fabulam referuntur.

THESES.

THESES.

I.

Terent Eun. Prol. 35 sqq.

Quodsi personis isdem huic uti non licet,
qui magis licet currentem servum scribere,
bonas matronas facere, meretrices malas,
parasitum edacem, gloriosum militem,

Non opus mihi videtur expungere v. 38, modo „qui" (v. 36) mutetur in „quoi".

II.

Plaut. Mil. Gl. 636 sqq. mutato ordine sic legere velim:

magis nosces meam
636 Comitatem erga te amantem. — Quid opust
[nota noscere?
638 — Nam nisi qui ipse amavit, aegre amantis
[ingenium inspicit.
637 Ut aput te exemplum experiundi habeas, ne
[quaeras foris.
Et ego e. q. s.

III.

Cic. Verr. III. 1. 3.

Atque ille his praesidiis ingenii fortunaeque munitus tamen hac cura continebatur, quam sibi nondum confirmato consilio, sed ineunte aetate susceperat. Quo minus etiam perspicitur eorum virtus et integritas, qui ad hanc rem adulescentuli, quam qui iam firmata aetate descendunt.

Sic locus mihi videtur restituendus esse:
...... sed ineunte aetate susceperat, quod minus etiam percipitur (codd. opt.) eorum virtus e. q. s.

IV.

Ovid. Metam. VII. 577 sqq.

Semianimes errare viis, dum stare valebant,
Aspiceres; flentes alios terraque iacentes,
Lassaque versantes suprema lumina motu;
Membraque pendentis tendunt ad sidera coeli,
Hic, illic, ubi mors deprenderat, exhalantes.

Hic locus nulla eget medela.

V.

Curt. Hist. Alex. VII. 5. 28 sic legas:

Perventum erat in <de ad> parvulum oppidum.

VI.

Senec. Oed. 424 sqq.

vidit aurato residere curru,
veste cum longa tegeres leones,
omnis Eoae plaga vasta terrae.

Cum v. d. Koetschau censeo v. 425 legendum esse:

vite cum longa regeres leones.

VII.

Hesiod. Theog. 590 sqq.

ἐκ τῆς γὰρ γένος ἐστὶ γυναικῶν θηλυτεράων
τῆς γὰρ ὀλώιόν ἐστι γένος καὶ φῦλα γυναικῶν
πῆμα μέγα θνητοῖσι μετ' ἀνδράσι ναιετάουσιν

Iis assentior, qui expungunt v. 591.

VIII.

Soph. Electr. 538 sq.

οὐκ ἴσον καμὼν ἐμοὶ
λύπης, ὅτ' ἔσπειρ', ὥσπερ ἡ τίκτουσ' ἐγώ.

Legendum esse censeo:

οὐκ ἴσον λαχὼν μέρος
λύπης, ὅτ' ἔσπειρ', ὥσπερ ἡ τεκοῦσ' ἐγώ.

(μέρος et τεκοῦσ' iam v. d. v. Hille proposuit.)

IX.

Soph. Oed. Col. 113 sq.

σιγήσομαί τε καὶ σύ μ' ἐξ ὁδοῦ πόδα
κρύψον κατ' ἄλσος

Cum aliis censeo πόδα in πέλας mutandum esse

X.

Eur. Iph. Taur. 961 sqq.

ὡς δ' εἰς Ἄρειον ὄχθον ἧκον, ἐς δίκην τ'
ἔστην, ἐγὼ μὲν θάτερον λαβὼν βάθρον,
τὸ δ' ἄλλο πρέσβειρ' ἥπερ ἦν Ἐρινύων,
εἰπὼν ἀκούσας θ' αἵματος μητρὸς πέρι,
Φοῖβός μ' ἔσωσε μαρτυρῶν·

Hic locus nulla eget medela.

XI.

Lucian. Πῶς δεῖ ἱστ. συγγρ. 51. 62.

οὐ γὰρ ὥσπερ τοῖς ῥήτορσι γράφουσιν, ἀλλὰ τὰ μὲν λεχθησόμενα ἔστι καὶ εἰρήσεται.

Pro εἰρήσεται leg. εὑρήσεται.

XII.

Hellanicus Lesbius videtur natus esse anno fere 490 et diem obiisse post annum 406.

XIII.

In explicanda narratione Thucydidea de Heraeo ab Atheniensibus munito et relicto verum fefellit cum virum cl. Classen, ad Thuc. V. 80. 3 adnotantem etiam Argivos in Heraeo fuisse, tum viros cl. Stahl, v. Herwerden, Classen, verba ἀνανεωσάμενοι τὰς σπονδάς non recte interpretatos.

XIV.

Vir cl. Beloch cum scribat (Gr. Gesch. III p. 250): „Theben war formell noch immer Mitglied des Athenischen Seebundes, wenn es auch seit einigen Jahren keine Beiträge zur Unterhaltung der Bundesflotte mehr geleistet hatte," iniuria censet Thebanis quoque σύνταξιν solvendam fuisse in Atheniensium foedere maritimo secundo.

XV.

Erravit v. cl. Meltzer (Gesch. d. Karthag. II. p. 317) contendens pugnam apud Panormum factam esse anno 250.

XVI.

Plebs Romana iam ante Servium Tullium ius suffragii in comitiis curiatis habuisse videtur.

XVII.

Promethei imagines pictae nos docent verba Hesiod. Theog. 521 sq

δῆσε δ' ἀλυκτοπέδῃσι Προμηθέα ποικιλόβουλον
δεσμοῖς ἀργαλέοισι μέσον διὰ κίον' ἐλάσσας.

intellegenda esse de Prometheo stipite percusso. (Cf. Schumacher Mittheil. d. K. D. Arch. Inst. IV. p. 222)
